


Este mihi faciles; linguisq; animisq; favete;
Excipite ingenuo dicturi effamina vultu:
Quando pii Manes venerabimur ore Dynastæ.
Te quoq; , lecta cohors , Clarias sectata sorores,
Nepigeat mentes adferre auresq; vacivas:
Ut noris, quâ parte Bonis patet area coeli.
„Felix, quem faciunt sapientem exempla Bonorum!

Errata.

A. 4. lin. 27. l. introduxerit. B. 2. lin. præfct. D. 2. lin. 13.
visitans. D. lin. 10. congefferat.



CASPARIS DORNAVI
EVERGETES

CHRISTIANUS,

hoc est,

DE VITA ET MORTE

ILLUSTR. ET GENEROS. DOMINI,

DN. GEORGI à SCHÖNAICH,

LIB. BARONIS BETHANIE, CAROLATI,
AMPTICI, MILCAVIÆ, NENKERSDORFI &c.

SAC. CÆS. MAJEST. CONSILIARI,
SIGNA. PER. UTRAMQUE. SILES. ET
LUSATI. CANCELLARI

&c.

PANEGYRICUS PARENTALIS,

DIE ALTERO EXSEQUIARUM

D. I. C. M. T. U. S.

TYPIS JOHANNIS DORFFERI

TYPOGRAPHI SCHÖNAICHIANI,

BETHANIE AD VIADR.

GENEROSIS ET MAGNIFICIS VIRIS,
 DN. JOANNI A NOSTIZ ET NOES,
 IN MAJORI MINORIQ; STRENTIO &c.
 ILLUSTRISS. PRINC. LIGNICENS. BRÉGENS.
 CONSILIARIO,
 DUCAT. WOLAVIENS. CAPITANEO:
 JUXTA QUOQUE
 DN. JOAN. FABIANO A KOTVVIZ,
 IN BRUNZELWALDAU &c.
 JUDICI REGI IN DUCATU
 GLOGOVIENS. ADSESSORI:
 UTRISQUE
 DEI, REGUM, PRINCIPUM, ECCLES.
 PATRIÆ DELITIIS,
 PATRONIS CERTISS. COLENDISS.
 HOC SUE IN ILLOS OBSERVANTIÆ
 MONUMENTUM,
 ULTIMUM, QUOD POTUIT,
 SCHONAICHIANI NOMINIS
 HONESTAMENTUM
 L. M. Q. D
 CONSECRATUM VOLUIT, DEBUIT



CASPAR DORNAVIUS

דערנן נגיד דערשט

426433



S. P. D.

GENEROSI ET MAGNIFICI

DOMINI;

PTOLEMÆO, Filio Philadelphi, Ægyptiorum Re-
 gi, non potuit cognomentum divinius, quàm
 EVERGETÆ imponi: si cum vero consentit;
 quod saniores Echnici haud infitentur: BENEFICEN-
 TIA nos quàm proximè ad immortalis Dei naturam
 accedere: ipsum verò Jovem, idcirco Optimum diu-
 à juvando, quidquid habet nominis & numinis, inve-
 nisse. Porrò cum EVERGETE, luculentissimà *αὐτοκρατορία*
 comparari potest Beatus SCHONAICHIVS: nō quòd
 Regali ipsum aut nomine proclamemus, aut origine;
 qui totà vità minimè fuit exactor sesquipedalium,
 sed nimirum exæquavit PTOLEMÆUM, ansuperavit,
 Virtute: ad cujus normam quivis,

Qui rectè faciet, non qui dominatur, et Rex.

PTOLEMÆUS ne in nem mortalium læsisse scribitur:
 benefecisse, quibus potuit, omnibus. SCHONAICHIVS
 hanc laudem sibi item fecit propriam. PTOLEMÆUS
 Favonio Gratia eò usq; provehebat Israelitas: ut, cum
 pendere illi tributum non possent; Suadà Josephi Du-
 cis delinitus, remitteret. Erat SCHONAICHIVS non

A 2

minus


Beiliger

minùs propenso animo, protensâ manu liberalissimâ,
in suos, in externos, in populum Dei maximè. PTOLE-MÆUS non modò conquiritissimam Bibliothecam, sed
floquentissimam quoq; Academiâ Alexandriæ, à Pa-
tre constitutam, auxit servavitq;. SCHONAICHIUS de
suo, pari, an majori laude, tales officinas fundavit, ex-
ornavit. PTOLEMÆUS amabile ocium & liberale in-
dulgit, tum Doctõribus aliis; tum in primis Jesu, filio
Siracidæ: qui, Illius ætate, sententias suas, ab avo, ut
ipse refert, scriptas, à se locupletatas, Græcis literis
evulgavit. SCHONAICHIUS, etiam fato functus, fo-
vet celebria ingenia: quorum voce manuq;, res præ-
clare gestæ Dei hominumque, in orbis terræ memori-
am sempiternam disseminari queant. Ex pronam ali-
ud; quo SCHONAICHIUS multis post se parasangis re-
liquit PTOLEMÆUM. Hic BENEFACTORIS titulo ab
Ægyptiis salutatus fuit: postquam ducenta ultra duo
millia Deorum simulachra, multis retrò annis à Cam-
byse in Persidem asportata, retulisset in patriam: quæ
longissimè profligata præstitisset. Hæc idolorum at-
que Deastrorum monstra, & quidquid superstitio im-
purum adfricat Religioni, procul habuit SCHONAI-
CHIUS: qui ita volebat audire EVERGETES: ut, cum
præstaret sua hominibus; Deo maximè sua redderet;
gestiret,

gestiret, insertus CHRISTO, CHRISTIANI decus pal-
marium reportare. Quæ Famæ encomia æternatura,
quibus modis & consecutus & tutatus fuerit: hoc
PANEGYRICO PARENTALI nuper recensuimus; Vo-
bis, VIRI MMAGNIFICI, bonorumque plurimis, piâ
teneritudine, mecum unâ collachrymantibus. Huic
monumento, jam-nunc in publico Memoriae templo
suspenso, Amplissima Vestra nomina præscripsi: quo-
niam hic fructus immortalis amicitia, quam coluistis
sanctam cum SCHONAICHIO sancto, ad Vos redun-
dare jure videbatur. Adde: illiberalis fore hominis;
tam gratos spectatosq; Hospites non aliquo vicissim-
Xenio prosequi. Vos quippe & Ordinem Nostrum U-
niversum cohonestavistis, Illustri Vestra præsentia: &
me, Oratorem infimi sublelli, gratiosè attenteq; au-
divistis: ut ipsa Justitia, quæ rependere officiis benefi-
cia amat, Vobis hanc strenam ultrò iret dedicatum:
Te, præsertim GENEROSE NOSTICI, Illustrissimo-
rum Principum, Lignicensium & Bregensium; Te,
GENEROSE KOTWICI, Olsnensium & Monsterber-
gensium, Principum item Illustrissimorum, personam
sustinente. Ea deniq; est celeberrimæ Vestrae doctrinae
excellencia; tam varia & per paucorum hominum,
cum Virtute omnigena conjuncta, sapientia atque au-
toritas

toritas: ut vel magis idoneos Patronos, vel Æstimatores hujus meæ ()pellæ, unde excitare nunc quidem valeam, prospicere non possim. Superest, ut Vos exorem: quod facio, quâ par est, reverentiâ: dignemini munusculum hoc literarium, serenâ fronte, quæ Vestra est perpetua, admittere: sed & mitissimè interpretari; si quid hinc inde asperum in eo pullulet, atque incernatum.. Quod à cunctis me impetraturum lectoribus confido: dum id apud animos suos ingenui penderint: non posse meras amœnitates & Veneres & Gratias proficisci ab eo: cuius adhuc corpus ferè in morbo, animus in recenti acerboque luctu jacet. Sic Deus Miserator, à cervicibus Vestris, Vestrorumque omne calamitosum longissimè propulset. Bethaniæ prid. Non. Jun. an. c. d. c. xix.

In



IN CL. VIRI

DN. CASPARIS DORNAVI

Orationem Funerem.

DE VITA ET MORTE

ILLUSTRIS DOMINI,

DN. GEORGI L. BARONIS

SCHÖNAICHI &c.

CArminibus Vatum æternis, Suadâque disertis
DORNAVI; seclis innumerabilibus
Ereptus terris, vivet SCHONAICHIUS Heros,
Nominèque implebit Solis utramque domum.
Sic sic vita datur, post funera mœsta, perennis.
Ut semper vivas; præstat obire semel.

TOBIAS DE SCHWANENSEHE
& Bregoschitz Cognomen. SCULTETUS;
Hæreditar. in Hirsfelda &c. II. IMPERAT.
ROMANOR. Consiliar. & Commissar.
Augustalis Palati Comes; Fiscique Regi per
Silesiam & Lusatiam Inferior. Patronus
& JC, tus

Ad

AD EUNDEM.

Tristia cum QUERNÆ defleres fata CORONÆ,
 DORNAVI, ad nostræ pulpita docta SCHOLÆ:
 Talia miratus mihi verba profatur in aurem
 Vir catus ingenio, iudicioq; gravis:
 Multi laude vebunt super aurea mœnia mundi
 Orphea, qui lapides moverit arte lyra.
 Si conferre licet prisca nostratia; nobis
 Quælia DORNAVI promisit ahore Charis:
 Non puto (da dictis veniam) inferiora fuisse
 Threiciâ, longè ni meliora, lyra.
 Fallor ego: cedro mihi non indigna videntur,
 Quæ tibi jam chartis prodita verba lego.
 At vox viva tamen quiddam divinius addit;
 Cum manus officium frons oculusq; facit.

JEREMIAS COLERUS

Schönaichian. Aulæ Ecclesiæ
 Res & Gynnasii Profets.

TORIAS DE SCHWABENBURG
 & Bregolhitz Cogenent. SCULPTOR
 Itatidat in Hirsfeld & II. IMPERIALI
 ROMANO R. Consiliar. & Commissar.
 Augustis Palat. Comes. Fidei. & Regi.
 Silesiam & Silesiam Inferior. Patronus
 & J. C. t. u. s.

BA

CASPARIS DORNAVI
E V E R G E T E S
 CHRISTIANUS.

Illustrissimorum Principum Legati,
 Viri Magnifici; Illustris Baro SCHÖNAICHI;
 Generosi, Nobilissimi, Reverendi, Amplissi-
 mi, Clarissimi, Ornatissimi omnium Ordini-
 num Auditores; Tuque literariæ juventutis Corona
 florentissima: Nefastus verè, & ater fuit hesternus dies:
 quo Patronum incomparabilem sepulchro gentilitio
 funestâ pompâ, atque in spectaculum miseræ humanæ,
 heu magno dolore, majori nostro damno, intulimus!
 Quas exsequias si quisquam siccis oculis conspexit; aut
 sine suspiriis, & condolenti pectore: eum ego vel onagris
 similem judico; qui sereno cœlo tristantur; letantur
 pluvio atque tempestuoso: vel nequiores puto Cinesiam
 Attico; qui, totam urbem perstreperente plausu, mutatâ
 veste prodibat in publicum atratus: communi verò lu-
 ctu perturbante omnia, petulanti joco, risu, gaudio ex-
 ultabat. Quoniam verò tam reluctantis naturæ nemo,
 sat scio, reperitur; neque in hoc cœtu amplissimo; neq;
 ullibi locorum; quò immortalis dudum gloria SCHÖN-
 AICHIANI nominis pervasit: meritò quidem id age-
 mus: ut, quemadmodum heri corpus Optimi Patroni
 Terræ custodiendum commisimus, perinde in animis
 nostris monumentum posthac erigamus; erectum ser-
 mone consecremus: quò defuncti Virtus varia atque
 divina, æternitatis memoriâ recolatur. Quò enim cip-
 pi, aut conditoria cinerum ex pretioso ligno, aut me-
 tallo,

Plin.
 Suid.

B tallo,

CASPARIS DORNAVI

Georg. Fabric.
Rom. 6. 2.

tallo, aut lapide fabrefacti: quorum superbus aspectus uno duntaxat loco pascit curiosos oculos? quorsum insanae substructiones Mausolorum; iisque aut appensae imagines, aut appositae statuae? quibus plebejae animae rapiuntur in stuporem: tempus verò ipsum, & caeli injuria, & hostium impetus, & quantulacunque violentia, necem adfert. Solidiora sunt cenotaphia quavis pyramide, aut colosso; quae literis inciduntur: in quibus, universo terrarum orbis ambitu, non tam corporis representetur evanida umbra; quam penitiores animi recessus, ingeniorum dotes, virtutum luculentae imagines proferantur in apricum: quas vitare res nulla, nullo quoque, aut tempestate possit. Tale officium debemus Coel. I. T. nostro; cujus nomen ita sanctum inter nos esse debet: ut meminerimus, posterisque commemoemus: fuisse omnino GEORGI SCHÖNALCHI vitam perpetuum exemplum pietatis & religionis; illustre theatrum scientiae & sapientiae; amoenissimam coronam, ex suavissimis floribus justitiae, fortitudinis, patientiae, humanitatis, liberalitatis, diligentiae, felicitatis, autoritatis variegatam. Quod ut elucescat clarius; quoniam pietatis est nostrae, & communis aequitatis; laudare eos profunere; qui bene mortui, bene vixerint: agite, Auditores, recludamus spacia temporum vitae SCHÖNALCHIAE anteaetate: ex ejusque memoria, quasi sacro quodam myrothecio expromamus, sine orationis mangonio; quae partim Dei, hominumque auribus grata insonent, vera, & cum laude conjuncta: partim jacentes, frigentesque animos nostros ad aemulationem piam erigant, atque inflamment. Equidem pro vireculis meis, quod poterit homo, morbo nondum eluctatus, faciam: neque committam,

EVERGETES CHRISTIANUS.

mittam, hoc praesertim tempore: ut vox ista desit mortuo; cui viventi fides & industria mea nunquam defuit. Vos, Auditores, per amorem, quo complexi estis eum, in quo omnis nostra versabitur oratio, rogo obtestorque; ut tenuitatem meam & attentione, & benevolentiam vestram sublevetis: sicque animos inducatis vestros: ad pietatis officium, quale hoc nostrum est, nihil facere magnificum apparatus: in sacrificiis splendidissimis tantulo molae falsae litatum fuisse. Atque ut idem sit Parentationis nostrae exorsus; qui vitae Illust. SCHÖNALCHI; jam diu credo anticipatum esse animis Vestris, ab observatione longissimi aevi, ratione conspirante: neminem vixisse in nostram gloriam: frustraque nos adeo

————— *tabulam jactare capaci*
Fumosos equitum cum dictatore magistros;
Si coram Lepidis male videtur. ———

Juvenal.
Satyr. 8.

Atqui ex adverso illud quoque vero consonat; majorum nobilitatem multum facere ad generositatis indolem; ad educationis liberalitatem; ad stadium Virtutis, per exempla laudatissimorum parentum calcandum fortius atque urgendum. Quod si fiat; jam pura, jam pura, jam perfecta est nobilitas; similima pomis aureis; quae in lance argentea apponuntur: aut

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariusque lapis circumdatur auro.

Virgil. 1. Aen.

Qualis ergo Patrono Nostro contigerit familia, si forte quaeritis; illum

————— *non series inhonora parentum,*
Obscurum proavis, & prisca lucis egentem,
Plebeja de stirpe tulit:

Claudian.

sed splendidissima, sed celeberrima; quae, ab annis quadrin-

CASPARIS DORNAVI

dringentis & ultrà, Cæsaribus ac Principibus Rom. Imperii, Regibus Poloniae, aliis Magnatibus Christiani orbis, masculas suas virtutes cum æviterno honoris magmento comprobavit. Nec unius regni, aut provinciae terminis contineri potuit: quin diffuderit sese eorum Virtus, nescia angusto loco concludi: ut fortunarum suarum domicilia collocarent in Silesia, Lusatia, Bohemia: superarent Sudetes; aliique Styriam habitarent; alii conversi in Hungariam, Poloniam, Marchiam: JOANNES quoque SCHÖNAICHIUS ante ducentos annos ex domo Linderodia migravit in Borussia: & meritis ac Virtute, in omnibus sylvis Magistrorum Teutonici ordinis jus personale lignandi sibi suisque gentilibus perpetuum impetravit. Nimis altè repeterem illustre decus τῆς αἰῶνος ἑλογίας Nostri; si proavum ejus JOANNEM, domus Linderodiae Possessorem, condecorarem justis laudibus; quas vitae universo stadio, quod ultra centum annos decurrit, omnibus Virtutum ornamentis sibi comparavit. Operosum foret; verborum præconio illustrare vel proaviam paternam ex POPSCHICIORUM; vel maternam ex STÖSSELIORUM gente: quæ & ipsa centesimum

annum excessit. Quorsum verò in historia PHILIPPI c. 13. 13 LV. Avi, TSCHECHELI Domini, calamum figam profundius? aut Aviae pietatem & reliqua sexus honestamenta percenseam: quæ GLADISIORUM familiae natalium c. 13. LIV. d. II. dignitates imputavit? Abrumpenda est hic dictio, longius accersita: cum propiora sint; quæ ad se trahunt, & quasi absorbent orationem nostram. Neque verò inditum sinemus Patrem, JOANNEM SCHÖNAICHIUM, c. 13. XXX. m. Parchvicl atque Milkaviae Dominum; quatuor & septuaginta annos natum; postquam, satis crudâ ætate, marasmo

EVERGETES CHRISTIANUS.

rasmo senili decedebat. Ejus eulogium dicere accuratius nō possumus; quàm in vexillo sepulchrali, ad ipsam vicini templi cryptam suspenso, legimus sermone nostro vernaculo; qui non minùs rotundæ est elegantiae, quàm ullus exoticus:

Erat omninò Vir sinceræ probitatis,
— teres atq; rotundus,

sine fuce, moribus antiquis: prudentiæ juxta exercitata, autoritatis singularis: quæ ipsa etiâ corporis dignitas venustabat gratiâ haud aspernandâ. Et si n. equum meliorem non faciunt aurei freni: nec æstimamus thesaurum ex arca: nec gladii acumen ex inaurato baltheo: est tamen spectaculum dulce atque honorificum; videre elegantem animum in corporis amœno domicilio hospitari: & mentis vigori atque excelstitati membrorum amplitudinem staturâ justâ atque decenti respondere. Fuit hæc in JOANNE SCHÖNAICHIIO temperies sanè quàm suavissima, in sago, & toga. Poterat, opinor, emergere subitò atque inclarescere, Alcibiadis more; qui juvenis, bellū adversus Lacedæmonios gessit: nisi existimasset: & tutiorem esse viam & diuturniorem; certis gradibus paulatimq; ad honoris culmen conscendere. Ergo, ex ritu veteris disciplinae, Germanicæq; fortitudinis, pedes primū arma, ætatis anno primo & vicesimo, in obsidione Magdeburgica gessit: quâ soluta, impatiens ignobilis ocii, eques in Transylvaniam militatum abiit. Confecto hoc bello, gliscebatur aliud, imò vi apertâ gerebatur, in Franconia Marggravicum: in quo, tanquam florentissimo campo, ejus fortitudo, atque prudentia tum maximè eminebat: cum, Ductor

Herr Hans von Schönau
auff Parchvic/
Welcher war in der Jugend
Ritterlich
Im Ehestande fruchtbarlich
An Kindern glückselig
Im Alter ansehnlich
Im Leben friedlich
Im Tode andächtiglich
In Christo seliglich.

Thucyd.

An. c. 13. 13 LI.

An. c. 13. 13 LII.

CASPARIS DORNAVI

Equitum haud paucorum, in praelio Schvvinfurtano, caperet hostium plurimos; iisdem extorqueret tria vexilla; quæ Pragæ in templo arcis, tropæa immortalis gloriæ, protensa cernimus. Hic SCHÖNAICHIUS, si nullo majorum facinore fuisset clarus; ex se meruisset CORONAM QUERNAM: quæ cunctis gentilibus, ab annorum longis. procurfu, propria fuit; dicereque

Cic. in Orat. aded, quod Tullio gloriosum fuit, potuisset: ita vixi, ut contr. Salust. sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Solent militaria ingenia plerunque trahere aliquid ferociæ; quod in pace postmodum, sine difficili labore, aut noxa, rarò excutiunt. Non erat ejus impotentia JOANNES SCHÖNAICHIUS: quo nemo ad consuetudinem cum aliis mitior, aut facilior: nemo ad struenda ædificia, quibus humana societas fovetur, scientior, promptior, felicior. Quod castrum apud Parchvicenses, & schola, & templum in auribus vestris testarentur; si loqui possent: cum nequeant; oculis saltem, qui auritis testibus præstant, monumentum servant. Erat autem terrestris domicilii ita gnarus, peritusque opifex: ut memor cœlestis πολιτείας, non tantum coleret Deum mente, vitaque purissimâ: sed multa quoque Scripturæ mysteria, non cuivis obvia, aut nôllet, aut indagaret. Quæsiuit olim piâ curiositate ex PETRO TITO, Seniore, eleganti Theologo: quid Christus, statuta corâ se adulterâ à Scribis & Phariseis, in terrâ scripserit incurvatus. Cum Titus nô responderet confestim; dubius, utrum de genere linguæ percontaretur; an rebus ipsis: Christus, inquit, pro omni scientia sua & sapiëntia præfiguravit, quasi in speculo, arcana peccata adstantibus: quæ ipsi, convicti exulcerata a conscientia, ne publicarentur à Christo veriti; paulatim

EVERGETES CHRISTIANUS.

paulatim se tacitèq; subducunt. Scita sanè & verisimilis interpretatio! quâ sensa animi ita prodidit sui, statuitque: ut non nisi

Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus.

Horat.

nec eum fas esse accusare, qui est ipse accusandus. Satis de Patre Patroni nostri. Matrem habuit ANNAM BERGERIAM, ex domo Kemniria, filiam CATHARINÆ GELHORNIAE, omnibus ornamentis collucentem; quæ matronalis decor sibi vendicat. Tam illi gloriosum fuit; Gentis suæ originem, quæ est antiquæ generositatis, referre ad præclaros vel Helvetiæ Equites, vel Silesiæ aut Lusatiæ inferioris: quàm ex Transalpinis, locis longâ ambage, accerfere: quasi propinqua sint minoris dignationis; excellent procul dissita: quæ splendere quidem solent eminus: si propius accesseris; ipso intuitu vilescunt. Illustre hujus familiæ decus, Annæ Schönaichiæ Gentilis, vixit ante annos XIIX, JOACHIMUS de BERGK Trium Imperatorum, Ferdinandi, Maximiliani, Rudolphi Consiliarius; laude quidem actuosæ pietatis, sinceræ prudentiæ, & ex his gravitatis autoritatisque clarissimus: munificentia verò inter mortales immortalis. Etenim non modò vivens ipse aluit, sed perpetuò, legatâ magnâ pecuniæ summâ, alendum sanxit quotannis, numerum bene magnum adolescentum: è quibus ubiq; locorum, Viri facti, summa cum laude, multi foro & curiæ, plures scholis, plurimi Ecclesiæ gnaviter operati quondam sunt, operanturque. Fuit hæc BERGERIA etiam hoc nomine felix: quòd præter Beatum nostrum, filiam, ipso grandiore natu, tum undecim alios utriusque sexus liberos enixa est, eodem natu minores; è quibus tres supervivant. Quod quid aliud est, quàm ter

*Ann. c 15.
L IV. d.
xxiv. Decemb.*

*Ann. c 15.
L xxxvii.
d. xxvi. Febr.*

&

CASPARI DORNAVI

& decies justas pugnas cum hoste, ipsaque aded morte depugnasse: si verum est; quod Medea, fortissima foemina, frequenti sermone usurpavit: *Malle se decies in acie dimicare; quam parturientis labores semel sustinere.* Dispar sanè conditio foecundæ secundæque hujus foeminae, ab iis *SCHÖNAICHIIS*; qui in Borussia degunt: qui nominis sui prolem masculam ultra novenarium numerum multiplicare nequeunt: quin, si decimus filius oriatur, alius quispiam paulò post è vivis abeat. Aded non diès tantum, sed gentiles nostros quoque in numero habet Deus: quos augere aut minuere non est nostræ spontis. Edidit autem prosperrimo partu *ANNA BERGERIA* hunc filium in pago *TSCHEHELINO*, lapide circiter ab oppido Tribellensi inferioris Lusatia: qui locus non parum nobilitatus fuit exortu hujus solis: quoniam verè locum Vir, non virum locus in pretio esse facit. Natalis ei fuit octavus Octobris, anni supra millesimum & quingentesimum quinquagesimi septimi: cum *MATTHIAS* Archidux Austriae, *CÆSAR* augustissimus, septem mensibus antè natus esset: non sine provida Dei cura: ut qui in vita conjunctas Reipubl. traderent operas, natalem atque emortualem annum inter se communem fortirentur. Quàm verò illud est aptum ad memoriam, & fidem adstruendam veteri scito: Inesse nominibus sua sæpe omina; abdito quidem nobis mysterio, sed certo rei documento. Non enim sapientissimi ac modestissimi parentes nomen infantulo suo imposuerunt Alexandri Magni, aut Ulyssis, aut Julii Cæsaris, aut M. Antonii; in quibus appellationibus mirum, quàm ineptè sibi exotici quidam placent: sed *GEORGIUS*, cum ex sacro fonte lavaretur, nominatus fuit.

O GEOR-

EVERGETES CHRISTIANUS.

O *GEORGIUM* verè γεωργόν! Quis enim terram ingeniosius coluit, aut utiliùs in salutem plurimorum! qui non modò ex arena squalidissima, nulli rei commoda, generosissimum vinum elicuit; ex terra palustri, aspera, perforata undique, ne ipsis bestiis utibili, opimum triticum produxit: sed insuper in hoc terrarum quasi agro quodam, seminavit Virtutes, Verbumq; Dei excepit corde honesto ac bono; retinuit; attulit fructum; quem nunc in coelesti Hierosolyma, foenerarià redhibitione percipit millecuplum. Ita est, Auditores: ut quisque seret; ita metet. Apparebat autem in primis statim infantiaë annis; quid de indole *GEORGI* esset statuendum. Platonem dixisse accepimus: nonnullis mortalium in primordiis nascendi aurum infundi pectoribus; è quibus principes designandi & magistratus: aliis misceri argentum: quos expediat tractare arma, & bello nomen quærere; quibusdam immitti ferrum & plumbum: è quorum censu mercatores, opifices, plebemque rusticam separare deceat. *GEORGIO* contigisse, non ex vili aut impuro, sed

formatum pectus meliore metallo,

docuit nativa indoles desubito stricturis suis erumpens; obsequio in parentes, conatu supplicandi Deo; etiam balbutienti lingua; oculorum conjectu blando; suavitate alloquii, modestià & tranquillitate etiam inter pupas & crepundia, in ipso lusu puerili. Quoniam verò optima quæque ingenia non optimè semper educantur & foecundius serpunt nocitura; quæ agros fertilissimos occupant, nullo impellente: parentes, quò melius in semine, aque radice evellerent, tenero adhuc caule, si quid noxium emergeret; suscipiebant curam primogeniti sui piè, liberaliterque informandi; adscito in partem

C

operæ

Nas. 11x. Oct. an. 619. 17

1577

lib. 3. de Rep. Arist. 2. polit. cap. 2. & 3.

CASPARIS DORNAVI

operæ ADAMO MÜLLERO, cive postea & Prætoris Moscoviensis: à quo Magnus iste SCHÖNATICHUS rudimenta literarum & Christianæ religionis, Christum amare,

— *Christi solius se merito tuens,*

in eodem præsidium collocare universum, didicit. Jamq; ingressus pueritiæ annos, FREISTADIUM, Ducatus Glogoviensis oppidum haud inælegans, evocatur ab Illustri Equite, FABIANO SCHÖNATICHIO gentili suo: quem generosa pueri indoles delectabat; inq; spem erigebat uberrimam: nihil ab hoc puero parvum aut vulgare expectandum esse. Commendabat eum Scholæ Freistadinæ Rectori; JOANNI FERINARIO, Viro optimo, optimoq; Juventutis Magistro: cujus & contubernio usus fuit, non minori felicitate; quàm illi, qui ex convictu Socratis propè doctiores & meliores, quàm ex prælectionibus evadere se gloriabantur. Sub illius vexillo ita militabat, deponebatq; primum tyrocinium; ut quanquam solitariæ vitæ erat plusculum appetens; in scholæ tamen communi pulvere, cum commilitonibus ἀντιθέτως καὶ φιλοπόνητως versaretur; palmam faciliè progressus in primis literis præriperet aliis. Imitabatur formicas; quæ ingentia saxa excavare dicuntur; cum itare frequentius per ea consueverint. Adhibebat sibi in subsidium Scholasticus iste optimæ notæ, indefessam diligentiam: quâ ita dispescebat diei, addo etiam noctis pensa: ut quantum alii tribuerent intempestivo lusui, aut ociosis deambulationibus, aut somno longiori: tantum ille sibi temporis sumeret, ad literarum studia continuo ferè labore pertractanda. Hoc adminiculo expugnabat difficultatem ingenii sui; quo primæ ætatis annis erat

Plin.

EVERGETES CHRISTIANUS.

erat nonnihil tardo atque obtuso: simili tamen vasis angustioris, ac æneis tabellis: è quibus illa liquorem; hæ figuram recipiunt ægrius; diutius verò tenaciùsq; continent. Videte, Auditores: quanto bono defraudata fuisset Ecclesia & Respubl.; si Adolescentulus iste à Musarum sacris fuisset repulsus; quoniam igneo non erat volubiliq; ingenio; aut vires ejus non exerebat confestim. Revocate quoque ad animum: quàm procul ab humanitate illi absint & prudentiâ: qui pueros nolunt excoli bonis literis: nisi statim cum Tiberio Cæsare, in foro, nono ætatis anno, perorent splendide: aut cum Augustino, peradolescentes, Logicam Aristotelis & Rhetoricam legant juxtâ & intelligant. Quasi deterioris notæ sint poma, initio acerba; & non potiùs ætatem ferant: cum dulcia & præcocia ante maturitatem sæpè computrescant. Quis Thomæ Aquinate ingeniosior extitit; ut Angelici Doctoris nomen fuerit meritis? Is languenti aded & hebeti erat ingenio: ut, cum taciturnus semper inter coxquales sederet, Bos mutus ab iis appellaretur: quemadmodum proclivis est hæc ætas ad fingenda cognomenta. Atqui prudentior Magister Albertus, merito suo Magnus appellatus; qui, cognitâ ingenii, ejusmodi naturâ, quod consecutum, prospexit: *Bos iste mutus, inquit, talem mox edet mugitum: ut vox ejus in admirationem sit abreptura universum mundum.* Accedebat huc aliterum adminiculum, in sacris humanioribusq; literis proficiendi; Favonius divinæ benedictionis: quem sibi spirantem subinde conciliavit, excitavitq; religiosâ vitâ. Idem propè ardor, qui in studiorum, in virtutis amorem rapit. Nunquam se abducebat

Quintil. lib. 1. cap. 3.

C 2

à pedi-

CASPARIS DORNAVI

à pedibus optimi Chronologi, purissimi Theologi; ABRAHAMI BUCHOLCERI: cum is pro suggestu verba ad populum faceret, plena ingeniosæ dexteritaris, sinceræ pietatis, accommodata denique ad universæ vitæ sanctimoniam; cujus virulâ, ut dicitur, multi nostræ tempestatis Theologi arare consueverunt. Hoc studium audiendi sacras conciones, pius iste discipulus conjungebat cum serio atq; ardenti precandi studio. Non in schola tantum cum commilitonibus exorabat sibi communè gratiâ Dei in communi operâ; sed horulâ insuper certam destinabat in Freistadino tēplo: quo in angulū se quendâ abdebat, nemini conspiciendus: ut tantò liberius, faciliusq; preces suas, remotis arbitris, in sinu Dei deponeret. Zeluni verò videte, Auditores: quotiescunque antelucanâ horâ signum daretur precum; quibus vacare tum ex officio scholastico non cogebatur: ne fortè profundiori somno immersus, orandi exercitium prætermitteret: nummis aliquot, aliòve donariolo æditui operam sibi condixit: ut ab eo statâ horâ excitaretur. In hoc speculum contuemini, Adolescentuli nostri; sed & detestamini ex adverso impuros scholarum fucos: qui pertaxi precum: porci, inquit, licet minimè adorent cœleste numen, in hâris tamen suis egregiè saginantur. Dux sunt manus; quibus pretiosissimos thesauros scientiarum apprehendimus; ardens oratio, laborque fervens. Quo postremo si defungi non vultis, molles & delicati, qui

Martial.

Dormitis nimum glires, vitulq; marini:

Nil mirum, si vos crassa Minerva premit:

omniò vel infami paupertate aliquando premendi: quoniam, qui molam fugit, & farinam fugiet: aut inscientiâ, stultâq; ruditate eritis germani fraterculi, Margitæ;

Quem

EVERGETES CHRISTIANUS.

*Quem neq; fossorem voluerunt numina divum
Esse, nec agricolam, nec in ulla prætereâre
Scitum aut egregium.*—

Aristot. lib. 4.
Etbis.

Exegerat jam SCHÖNAICHIUS pueritiæ juxtâ & extrema adolescentiæ annos; instructus eleganti latinæ linguæ facultate & copiâ; Dialecticæ quoque & Rhetoricæ cognitione tantâ, quanta homini nobili sufficit; qui vitæ vivere, non scholæ debet: cum Witebergam abiit, doctissimis Viris affluentem; Ductore honorario, M. ADAMO CLOSIO, comite JOANNE MENCELIO, anni, meritis, autoritate Archiatro, in hoc Glogoviensi Ducatu; quo cum SCHÖNAICHIUS conjunctissimè, non intra Scholarum tantum parietes vixit, inq; uno ac eodem contubernio; sed toto vitæ decursu: ut planum fiat: immortales esse amicitias, quæ in commilitio literario sancuntur. Quid ergò novus Mystes Musarum in Academia meditatur? quid cupit? quid molitur? An ignaviam, symposia, luxum; an pugnas, vulnera, cades? Minimè gentium. Commodè sibi prospexit de fideli Ephoro, JULIO quodam, homine eleganter docto; cujus operâ domi in Musæo suo utebatur impiger, pari observantiâ & obsequio: cujus cognomen non extare doleo. Prudentiâ quippe singulari initiavit sacris sapientiæ hunc Candidatum; non monstrosâ commentariorum mole: sed optimos autores laboriosissimo discipulo commisit; tantillumque manu suâ præiens, modum indigitans, effecit: ut ipse GEORGIUS proprio Marte ex illis in rem suam compendiosa systemata concinnaret: in quibus postea discantis ingenium multo modis exercebat. Non loquor aut vana, aut ex conjecturis nata: in promptu sunt libelli tales, quibus & cunctas Philosophiæ partes,

C 3

CASPARIS DORNAVI

partes, & Chronologiam, & Historias, scito ordine, manu suâ, Studiosus consignavit. Institutum sanè approbum! gratiora nempe sunt; quæ nostris manibus conquirimus: thesauri alieni non ita amabiles nobis esse solent. Caterùm non ignorabat: eos, qui domi, quasi claudi futores, desident, multumque multa legendo defudantes, audire neminem in publico docentem amant, opinatores fieri, Suffenos, Narcissos; cumque nubem sæpe pro Junone amplectentur; umbram pro carne, cum cane Æsopico; maximam partem Incentores se præbere turbarum in Ecclesiis & Rebus publicis. Ad hos malæ mentis scopulos ne allideret cautus SCHÖNAICHIUS: auditoria publica frequentabat sedulo. Cum primis attentè audiebat Juris consultorum lumina, & columnina BEÜSTIUM, WESENBECIUM, TEUBERUM, SCHNEIDEVINUM. Tantorum Virorum oracula excepit calamo non segni: ad animum verò penitissimè demisit; memoriæ cancellis tenacissimè obsepsit. Non sufficiebat: literis humanioribus, universaque Philosophiâ nobilissimum pectus excoluisse; & amplissimi juris sibi comparasse scientiam haud mediocrem: Doctore postea privato usus MARTINO CRUMCRÜGERO: quem redux in Silesiam vocavit; commendavit FABIANO, Consiliarium & Advocatum Schönachianæ causæ; modis plurimis exornavit. Non erat satis, dico; leges animo habere incisas: nisi usus quoque ad omnem vitæ partem accederet. Sic enim statuebat: inanes esse speculationes: nisi aptentur societati hominum. Impulsus hoc judicio; cum Witebergæ in Dicasterio, causæ ventilarentur & controversiæ; existimabat ille: sui muneris atque emolumenti fore, accedere: accessit; auribusque patentissimis,

EVERGETES CHRISTIANUS.

mis, animo minimè peregrinante, observavit: quomodo leges civiles in foro causarum meritis accommodarentur. Quo contentioso auscultandi fervore & siticulosâ discendi cupiditate, id affectus fuit: ut uno eodemque temporis impendio & jurisprudentiæ harmoniam sibi quandam concinnaret, legibus ritè intellectis; & genuinum usum, in quo omnis omnium artium est perfectio, variis casibus applicaret. Adeptus quoque fuit hac studiorum industriâ rû cognomentum *diligentis Nobilis*: tum, ut est bonum boni ferax, benevolentiam & familiaritatem clarissimorum hominum: è quibus, interiore quodam adfectu, veneratus totâ vitâ fuit HARTMANNUM PISTORIS, SIMONIS, nobilissimi Jurisconsulti, filium & Jurisperitum nobilissimum. Confectum jam erat SCHÖNAICHI in octi quinquenniū; quod tribu sibi ab Auditoribus suis Pythagoras volebat. Facit ille; quod

—*currens mercator ad Indos:*

qui pretiosis suis mercibus convasatis, patriam cogitat; remis, velisque petit. Ille item ornatus quo vis auro præstantioribus thesauris, recogitat Silesiam, resalutandos parentes, cognatos, gentiles: reditque ad eò non exotico vestimentorum apparatu, aut levi, aut militari: quem FABIANUS SCHÖNAICHIUS Patronus, & alter Pater, parsimoniæ & frugalitati, mediocri sumptu assuescere adolescentem voluerat. Rediit: non quadrigis vectus, aut phaleris exornato caballo; sed pedes, cum comite: delectatus frequenti commemoratione hujus sui itineris, & reliquæ vitæ prokursus; qua cum Sorore bonæ mentis, h. e., inopia, conflictari quandoque necesse habuit. Amant quippe generosissima quæque ingenia; casus percussere suos; minimeque dissimulant antea vitæ conditiones; quæ.

Horat.

an. cl. lxxxvi.

CASPARI DORNAVI

*Atben. in di-
pnoſophiſt.
Mercurial. in
Gymnaſt.*

quæ fortè minùs ſplendidæ lautæque fuerint. Quorſum enim fatèri pudeat; pauperiem aliquando vicinam habuiſſe, aut hoſpitam? quod Virtutis argumentum eſt potiùs, divinæq; præſentiæ atq; dignationis ſanè quàm illuſtriſſimum. Sæpe inter lacrumas & gaudia recenſemus pericula; quæ inter decumanos fluctus maris exantlavimus. Ethnici quoque poſt naufragium, collectas tabulas in fano Neptuni ſuspendebant; jucundum liberationis monumentum. Et nos erubeſcemus, ſuperatis inopiæ difficultatibus? Acuit felicitatis ſenſum anteacti laboris memoria. Reducem eum excipit, ſæpe dictus, nunquam ſatis laudatus, FABIANUS SCHÖNAICHIVS; gentilemque hunc ſuum, juvenilibus annis, & vernanti doctrinâ florentem, depoſcit ſibi familiarem; copiam à latere ſuo diſcedendi non facit. Facile erat imperium involentem; qui exiſtimabat, officium ſe debere viciniſſimi; à quo maſtatus beneficiis fuerat. Latus e' gò, lubensque obſequia ſua Magno FABIANO SCHÖNAICHIO deſtinat. An exigitis, ut edifferam; qualem ſe præſtiterit in liberaliſſimo munere; ut Patroni, Cognatiq; adfectum magis magisq; promeretur? Nimirum fide minimè ſubleſtâ, aut moroſâ ruſticitate, ſed reverentiâ ſummâ, optimâ conſcientiâ ita ſe ad Patroni nutû com- ponebat: ut, cum ille eſſet ad iram pronus, militari quodam genio, an impetu, omnem fervorem excandescendi, antequam in flammâ erumperet, tempeſtivo artificio extingueret. Iram quippe & ipſe ſimulabat; ut tanquam doloris ſocius in mitigatione plus haberet auctoritatis: dum paulatim aut ſermones inferret alienos & gratos: aut oſtenderet; hominem, cauſamve vilioris eſſe pretii, quàm ut ejus gratiâ ſuſcipiatur animi conſi-

ctus:

EVERGETES CHRISTIANUS.

ctus: imitatus Medicum; qui, cum regis filiam, teſte & laudatore Senecâ, curare deberet, nec ſine ferro poſſet; *Sen. lib. 3. de ira cap. 39.* dum tumentem mammam leniter fovet, ſcalpellû ſpongiâ teſtum induxit; vulnuſculum infixit in ſalutem. Alcibiades, homo verſatilis ingenii, de collo ſuſpenſam, gerebat radicem Symphyti; quâ ita utebatur amuleto, aut philtro: ut ejus vi & efficaciâ gratiam populi Athenienſis aucupari ſe crederet. SCHÖNAICHIVS certiori philtro colligebat graviffimi Patroni gratiam; obſequio, dexteritate ingenii, amœnitate morum: ſibiq; dictum putabat, quod Poëta proclamat, ad amores comparandos:

Sit procul omne nefas: ut ameris, amabilis eſto.

Ovid.

Erant FABIANO ampliſſimæ facultates, fundi numero plurimi, reſtitibus locupletiffimi. Erat non modò Toparcha Moſcovii in ſuperiori Luſatia, & in hac Sileſiæ parte Witgendorſii, Herzogvvaldæ, Carolati, Bethaniæ: ſed utriuſq; etiâ oppidi Polckovicl, veruſtate celebris in hoc Ducatu, & Parchvviel, arce nitidâ, ad fluenta Catti atq; Oderæ in Ducatu Lignicenſi. Freiftadiû quoq; tenebat pignoris nomine; & Sprottaviam, oppidum frequens & amœnum; poſt Glogoviam & Bithomiam noſtram in Ducatu hoc antiquiſſimam. Hujus univerſi territorii gubernator erat GEORGIUS; eâ auctoritate, ſuffultus & potentiâ plenâ: ut quicquid ſanciret in exercitio jurisdiſtionis, quicquid ſtatuere in adminiſtratione rei familiaris; quicquid de rationibus diſpenſaret, de pecuniis exigendis erogandiſque: illud omne ratum haberet FABIANUS: quaſi à filio adoptivo, aut à ſeipſo quodam altero conſtitutum: aut cujuſdam Joſephi more in Pharaonis aula:

D

— Si

CASPARIS DORNAVI

Virgil.

— *Si parva licet componere magnis.*

Hæc schola erat œconomica beatissimi GEORGI: cum qua contiguâ viciniâ conjuncta erat politica altera. Nam & FABIANUM, virum invidendæ autoritatis, à quatuor Cæsaribus ad sanctiora militiæ consilia adhiberetur, audiebat quotidie, recensentem gravi sermone, varia experimenta prudentiæ; quæ non modò vidisset, aut edidisset; cum adversus Scythas, Moschos, Turcas, Dacos, Gallos, fœderatos Principes pugnasset; capto manu suâ, & exarmato Lunaburgensi Principe: sed quæ cunctis vitæ articulis memoranda comperisset; in aula MAURITISAXONIS, quo cum uno sæpe, eodemque lecto cubuit; in palatio CÆSARIS CAROLI; cujus augustissimâ manu in Equestrem Ordinem lectus fuit: & quæ præterea hinc inde, ad prudentiam documenta innumera observasset. Quanta est, & quàm rara felicitas, in tam exili numero sapientum; vel in unum duntaxat incidisse; cujus non tantùm ex libris hausta scientia; quæ plerumque, si tola fuerit, homines refractarios efficit, & tenaces suæ opinionationis: sed judicium usus multiplex absolvit, &

Manil. lib. 1.
astronomic.

*Per varios casus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.* —

Major verò felicitas; cum domi nobis quotidianum speculum in parentibus cognatisve exhibetur: cujus intuitu, verbis, factis vitam nostram conformemus, Quemadmodum enim

Juven. Satyr.

— *— — — velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica; magnis
Cum subeant animos auctoribus:*
ita vicissim comparatum est: ut Virtutum radices in-
rapt

EVERGETES CHRISTIANUS.

rant item promptius; qui communionem sanguinis nos attingunt propius. Cumque tria sint, quæ ad quasvis actiones concinnant homines, aptantque: audire, legere, exercere: instructissimus erat NOSTER à prioribus duobus: postremo verò beneficio, quâ felicitate usus fuerit; præteritum est operæ, Auditores, Vos ad judicium Vestri æquilibrii attentè expendere. Trahunt se: um ingentes divitiarum ingentes curas: amplissimaque bona sudore multo, multis

— *parta malis, curâ majore, metuq;*

Servantur: misera est magni custodia census.

FABIANI item possessionibus cum insidiarentur multis; necesse habuit ad diversa tribunal a causam experiri suam: & quia nemo in proprio negotio aut linceo satis est visu, aut æquus æstimator sui ipsius, honoraria aliorum judicia exquirere. Exquirebat cum primis GEORGI: quod rectum esset & planum, & ad ipsum quasi prudentiæ Solem excoctum. Illud ex tempore quandoque, quandoque in tabula scriptum postulabat Patronus: quo labore, priusquam adsuesceret stylo FABIANI, accuratissimi scribendi Magistri, aliquando ita fatigatus fuit: ut noctem integram, uni conscribendo epistolio impenderit. Attingebat jam quartum ætatis septenarium: cum uno anno, eo videlicet, quo Gregorianum Calendarium à Cæsare his locis committebatur, quater in Misniam excur-
rit, quater in Bohemiam, pluries Vratislaviam. Videor
mili videre; laudibus nostri Cœli 17 is nuberâ inducturum censorem quempiam immaturum: quod peregrinationes sulceperit nullas ad regiones,

— *alio sub sole jacentes.*

Plumbeum est telum; quod obijcitur, tam facile depulsum; quàm leviter obijcitur. Neque enim

Virgil.

CASPARIS DORNAVI

officii ratio permittebat; ut Mercuriali huic operi se dederet: ad quod per naturam, opinor, omnes trahimur: nec illi defuisset voluntas; cuius animus fervebat quovis studio; quo ingenium excolitur, & iudicium. Verum enim verò danda erat opera Benefactori suo, imò Patri: à cuius oculis, aut sinu, in tanta rerum perplexitate, discedendi gratiam nec poterat benignis verbis impetrare; nec volebat importunà precatone. Aliud occurrebat remedium: quo consuleret impedita peregrinationis incommodo: si id incommodum dicendum; & non potius negotiatio prudens felixq; , aliquid amittere; ut magna lucreris. Compensabatur peregrinatio; foris conversatione cum viris maximis; domi consultatione cum amicis sapientissimis & candidissimis: cum mortuis quoque: libros intelligo. Controversiæ, quas diximus, in aulam Cæsaris pertrahebant GEORGIUM. Substitit ergo, non menses, sed integros quandoque & continuos annos PRAGÆ: at quàm augustà Urbe! ea videlicet, quam, ob confluxum variarum gentium, & coronam ornatissimorum hominum, non abs re erit, vel compendium Europæ, vel delitium orbis terrarum appellare. Omnino se res ita habet, Auditores: quod in singulis regionibus sparsim exhibetur, incredibili temporis, sumptuum, virium jacturâ; id Praga conjunctim omne tam amabili offert spectaculo & copiâ: ut de hoc emporio veriùs, quàm de Galliæ quadam, cætera haud ignobili Urbe, dicere liceat:

*Quod nolis, alibi quaras: hic quere, quod optas;
Aut hic, aut nusquam vincere votapotes.*

*Jul. Caf. Scal.
in Urbib.*

In hac Aula magnificentissima, cui in terrarum circuitu par nulla fuit, occasionem nactus, etiam posteris, statæq; &

EVERGETES CHRISTIANUS.

& virilis ætatis annis, notitiam primò captavit; progressu temporis etiam ad familiaritatem admissus & interiorum amicitiam illustrissimorum hominum: RUMPHI, TRAUTSONI, HOFMANNI, HORNSTAINI, BUDOVVECI, CURTI, CORADUCCI, PEZLI: quorū consuetudine, prudentiæ suæ thesaurū magis magisq; ditabat rebus plurimis, ex tam ubere fonte haustis, adque animum transmissis: sed sine aularum inquinamenti, ambitione, invidentiâ, detractone, strophisque pœnitendis. Cum exteris quoq; ibidem frequens instituebat colloquium; quandoque convivium: diligentissimè in leges eorum, statuta, jura, mores, indolem, vires, alia inquirebat. Honorabat Gallos, Italos, Hispanos, Bohemos; vicissim ab iis honoratus. Gratus erat ex Hungarorum natione, PALPHIO, NADASTIO, THURSIO: cum quibus multa contulit; quæ videbantur profutura, ad enervandas vires tyranni Turcici: cujus tum maximè flagrabat plus quàm viperinum odium adversus nomen Christianum. Quid multis? Patebant prudentissimo huic Aulico nostro & Procerum, & quorumcunque optimorum fores; secretiora quoque adyta. Quòd si quis fortè dubitet; quid sit, quod SCHÖNAICHIUS non tam sanxerit in Augustissima CÆSARIS aula, quàm conservarit amicitias: cum alioqui gratia in aulis, minutis quasi granis colligatur, effandatur integris modiis; ille perpendat apud animum; quantum valeat modestia & patientia. Postquam enim re didicerat: cuncta esse caduca, & puerilibus consentanea crepundiis; quæ splendor & amplitudo in rebus humanis vocantur; servabat adversus minores humanitatem, venustatem hilari vultu, sereno animo: cui nulla erat in audiendo difficultas; nulla in

CASPARIS DORNAVI

respondendo mora: adversus majores verò reverentiam adhibebat, sermone, gestu, totiusque vitæ cultu ad humilitatē composito. Quippe nulla magis tuta, nec certior via est: quàm ab humili ordiri excelsa. Audio equidē; Hebræos multa commentari, & prædicare de Angelo suo gratiæ; quem Annahelis nomine signatum, eoq; officio fungi memorant: ut amabiles credatur reddere; quibus adhsit. Equidem, habueritne hunc adstitem SCHÖNACHTUS, aut ullus mortalium, dicere nequeo: nec fas est, re incertâ, magniloquos crepare sermones. Sed illud elidi nullis rationum machinis posse, scio: neminem facilè ei fortunato invidere; quem, prosperis rebus adfluentibus, moderato utentē animo con-

Plutarch. in Pericle. spexerit. Audivistis, opinor, quid Pericles fecerit; cum à petulanti quodam totum diem maledictis conscinderetur. Patienter tulit; seque contumeliis insectantem ad ædes usque suas, cum jam nox immineret, mandavit uni ex servis, ut accenso lumine comitaretur, ac rediret domum. An illi dissimilis SCHÖNACHTUS? Habebat ille & in aula, & domi agens postea, adversarios potentes: qui id agebant curâ anxîâ, vario machinarum apparatu: ut eū de statu bonæ causæ deicerent: ipsi, quod impotenti voto sperabant, spirabantq; obtinrent. Horum ille artes sciens nesciebat: nec remordebat mordentes: potiùs renidenti vultu, & suaviter diductâ fronte salutabat: nec salutabat tantum: sed invitabat domum suam; excipiebat lautè; dimittebat honorificè; haud raro donis locupletatos, & beneficiis plurimis. Monitus ab administro suo, quo tum Silentiarum loco utebatur *ne adversariis suis manus adeò liberales ulterò porrigeret; arma quippe adversus se stringenda: ex animo se facere,* respondit,

EVERGETES CHRISTIANUS.

respondit, consentiente imo pectore; Christianismi quoq; sui instinctu, prunas super caput inimicum colligendas esse. Quæ res assuetudine ita illi familiaris facta, in naturam conversa fuit: ut toto vitæ tempore pectus ejus fuerit inexpugnabile patientiæ munimentum: ad quod infestissimi ejus Antagonistæ, quicquid molirentur, confusi fuerunt; inque ruborem, non sine clade singulari, dati; stante illo immobili:

*Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Que sese multis circumlatrantibus undis,
Mole sonet: scopuli nequicquam & spumea circum
Saxa fremunt, lateriq; illisa refunditur alga.*

*Homer. Iliad.
16. Vi. & lib. 7.
Æneid.*

Rumusculos verò sequiores, quos spargi in se cernebat, vel ab accusatoribus, vel cauldicis in foro, vel in universa vitâ a maledicis, tam facilè ridebat, spernebatq; quàm Cato: cui ad tribunal causam agenti, cum in mediam frontem, quantum poterat, pingvi salivâ inspuisset Lentulus, incertum stolidior, an vanior, fortissimus Vir abstergit faciem: nulloque edito signo iracundiæ: *Adfirmabo omnibus, inquit, Lentule: falli eos; qui te negant os habere:* sentiens; optimè nos ulcisci petulantiam: sicut non sentit iracundiam animus; aut est superior. Accidebat SCHÖNACHTIO, quod Agricola: qui sementim crescere non sentit: sed crevisse. Comperit postea quàm ingens sibi hæc exercitia in aula illustrissima contulerint commodum: tantum videlicet; quantum ad spectus à circumfuso aëre lumen accipit. Quoniam vero experimenta unius hominis, in tanta annorū brevitate atq; incertitudine, non conformant satis animū ad omnes casus; quorū & varietas est polydala, & ratio

Senec. de ira.

Salust.

CASPARIS DORNAVI

& ratio intricata adhibebat alterum prudentiæ, sanè haud pudendum præsidium, lectionem domesticam. Dabat se in amplissimum historiarum campum; non dieis, animive causâ, aut fallendi ocii: sed exempla, publicè privatimque salubria excerpbat: ut quid appetendum, quid fugiendum, subinde in promptu haberet. Juris prudentiæ verò, ita re exigente, per dius pernoxque incubuit; pretiosissimis Jurisconsultorum voluminibus, operâ CLAUDI MARNI coemptis: quorum inter se acutissimâ collatione pensicularis sententiis, justos libellos conscripsit ipse, quos vel supremo, vel subordinato Judici in causâ sua obtulit. Non erat ita miser, atque illi; qui in experiundo jure suo id nõrunt, quod advocati sui: hoc est, oculis, & auribus, & animis alienis, solâ crumenâ suâ utuntur; quam ad extremum sæpe teruntium emungunt. Quæcunque studio domestico conquissiverat; ne sibi nimium tribueret; aut lectis alienum adfingens sensum, pro perca scorpionem cepisse videretur: ea cum Viris doctis communicabat: quos domum suam frequentissimè invitatos, non diligere tantum noverat reverenter, sed deligere quoque & secernere; ingeniorum, si quid potest humana prudentia, æstimator accuratissimus. Testes appellare, in re tam luculenta, operæ foret infinitæ: Te, præsertim, Magnifice SCULTE TE, uno pro omnibus (qui

* reliquis præstantior unus.
Homer.

† πολλῶν ἀντιζήτων ἀλλων)
tacito ad sensum contestante: quàm fuerint illi saccharo & melle dulciores sermones convivales, & quasi quædam contestationes eruditorum hominum: ut sæpe cœnandi tempus, sub ipsâ quadrâ sibi haud invito elabi passus fuerit. Animi hisce ornamentis cum magis magisque exsplen-

EVERGETES CHRISTIANUS.

exsplendesceret; visa tandem fuit sublata omnis ingenii durities; quæ puerum non nihil remorabatur: quasi nodum Gordium Alexander aliquis ense discidisset. Jam capiebat fructum pertinaci suæ diligentiae: sed & contingebat apicem sui voti: quod præscripserat tum aliis libellis, tum ei, in quem amicorum nomina congerimus. Sic n. sentiebat, versiculis à se compositis, & nitore suo, & cupiditatis emergendi indicio commendatis:

Et genus, & nomen tribuit mihi Querna Corona:

Nobilior virtus nobiliora parit.

Huic admiranda in super felicitas, cum singulari auctoritate, adjuncta fuit. Quòd enim fundos amplissimos & possessiones & facultates post se reliquit splendidissimas: quis ita frontem corrugabit; ut ex sinu benedictis Jehova, qui divites facit, profluxisse neget? An sermo altius repetatur: ut intelligatis: quo bono genio, quâ ope operave ditatus ipse, ditare alios potuerit? Dicam, quâ par est brevitate, & candore. Jam primò congiariis ornatus fuerat à locupletissimo FABIANO; cujus item benignitati imputavit partem pagi EBERSDORFI, in agro Sprottano: ex quo per annos plusculos, culto probè & ampliato, peculium collegit; auctum postea accessu donationis, mortis causâ factæ ab eodè FABIANO. Quæ etsi interversa fuerit, temporumne, an hominum invidentiâ; quò minus acciperet totam; quantumcunque tamen accepit; quòd summæ fuit haut erubescendæ: illud Deus, sat superque potens, ex parvis facere maxima, cumulavit tum insperatis aliis modis: tum matrimonio Uxoris divitis. Nemo enim erit nostrâ tempestate; qui Solonis legē, meritò antiquatam, promulgari denuò optet: quâ illud sancitum fuit, ut in Rep.

Proverb.
10. 2. 27.

CASPARIS DORNAVI

Atheniensium nihil afferret secum Uxor; nisi tria vestimenta: cibi præterea potusque non plus, quam unico obolo constantis. Nam si cæteræ dotes & bona moratæ conjugis adsint: natalium honestas, forma non planè Theritica, religionis item studium, fides, pudicitia, prudentia, peritia familiæ regundæ: quis dorem, quantumvis locupletem, in mare cum Thalete abjiciat? quæ & onera matrimonii feruntur facilius, & beneficia egenis conferuntur: quo modo Pythagoras ad Deorum naturam quàm proximè accedere homines aiebat. Ecquid verò conjugii Illustris GEORGI, ELISABETHÆ LANDSCRONÆ, familiæ generosæ, quæ Fabiano nupta prius, nescio an ab eodem huic Nostro votis, verbisque destinata fuerat, ad pietatem deesse potuit? Quæ sacrarum literarum erat scientissima, & sesquicentum carminibus sacris, quæ memoriter suavi cantu modulabatur, præclaram fidei confessionem edebat. An illam à prudentiæ donis fuisse destitutam putemus? quæ ter & vices collocuta fuit cū RUDOLPHO CÆSARE: at quantæ dignationis Principe! quàm formidabili juxta & venerabili vultus majestate! apud quem justandè suum, matronali morū venustate, suadæ suæ delitiis, sapientiâ masculam obtinuit: nec Aspasiâ, Periclis magistrâ, nec Corneliâ, Gracchorum matre, nec Hippia, hospitâ Lycurgi inferior. Ab IMPERATRICE verò, MATTHIÆ Coniuge, in quibus habita fuerit delitiis: si nihil aliud; colloquia, quæ inter se miscuerunt haud infrequentia, indicium faciunt: ELISABETHAM SCHÖNAICHIAM sui sexus seculique, addo etiam illustre decus aulae extitisse. Quid de liberalitate ejus dicam, & magnificis donariis: quibus cū gentiles suos, tum Ecclesiam, scholam

*Duxit an. c. 17.
17. xcv. d. xi.
Jull. Parch-
wici.*

EVERGETES CHRISTIANUS.

scholam, pauperes, cumulatissimè affecit viva: testamento quoque post mortem auxit egregiè. Multa mihi hic tenuiter, & quasi per capillum tangenda sunt, Auditores: ne longius, quàm vestra fert in audiendo patientia, excurrat oratio. Dicendum quippe aliud; quod SCHÖNAICHIMUM ditavit, ex humanis præsiidiis, instrumentum efficacissimum. Utebatur incantamento. Quid horretis ad insolentiam verbi? Erat pium incantamentum, erat innoxium, necessarium; bonis omnibus comprobatum: quæ non modò Cajus Furius Cresinius lætissimam segetem, amplissimam messem fuit consecutus: sed Deus ipse justissimus uti voluit universum genus humanum. Dico diligentiam & laborum assiduitatem, sine tepore ac languore. Noverat cives, subditosque suos: cū ipso non minùs nomine, quàm suorum militum Cyrus; tum indole, moribus atque institutis. O bibat ipse prædia & fundos: collustrabat operas ipse, etiam infimorum, & operis accommodata loca: ne quis ambigat; oculo Regis saginari equum. Temporarias domus suæ rationes ad unguem habebat exploratas: alienis non fidebat nimium oculis: dati, acceptique indices subinde habebat ante se positos; imò, assuetudine frequenti, memoriæ impressos. Sic in omnem partem providus, intentusque, & domesticos cogit habere castas atque continentes manus; & damna præcavet; & futuris prospicit. Qui in propriis negligens est ac torpet: fraudandi occasionem læpè non malis ministris porrigit ipsam licentiâ, quæ deteriores cuncti reddimur: Eunt omnino mores Domini, pernicioso laxamento, in imitationem: quia naturæ

Plin. lib. 13. c. 6.

Plin. arch.

CASPARIS DORNAVI

AN. C13. 13XCV.

quadam pronitate præeuntē sequimur: non semper, quæ eundem; sed quæ itur. Accessit stupenda ratio; quæ GEORGIIUS nomine & omine Georgium se præstitit; tantoperè exculto, atque ampliato territorio suo; quod, olim bonum suum familiare, à RUDOLPHO CÆSARE, justo pretio redemerat: ut multis nominibus nunc auctius, & fecundius, & amœnius & locupletius; quàm à primo emptionis articulo, sine invidiæ oculo contemplanti, videatur. Ubi enim nunc prædia nitent bene multa, fertilitate propè incomparabili: ibi olim aut sabulum aridum, aut senticeta aspera, aut terra undique fungosa, topique instar cava & perforata, aut paludes foedè spirantes, aut saltus non adeò cædui luxuriabant. Vix bestiis aliquot stabulum pabulumve sufficiebant loca illa: in quibus nunc tot mille animæ CHRISTO infertæ, cælo inferendæ, domicilia sua locant; &, quod corpora pascant, alimenta quærunt commodè, abundè inveniunt. Ad hoc opus suscipiendum, conficiendamq;, minimè excitabat Architectonem aliquè ab Italis: quos Macchiavellus increpuit suâ ætate: quod cum ingeniosi admodum sibi viderentur; attamen Germanos accirent ad metiendos fines agrorum. Ipse GEORGIUS seipsum consuluit; acumen ingenii sui, divinitus excitati adhibuit in subsidium. Et si enim FABIANUS Antecessor aliquando, ADAMUS item LANDSCRONÆUS, vicini Brigel Dominus, SCHÖNAICHIO fide amicitia conjunctissimus, nonnulla monuerant de loco excolendo: obscura tamen erant indicia illa; longissimè accersita, perplexis notionibus implicata. Ipse GEORGIUS designat opus Architectonicum; disponit operas ipse: ostendit, quæ arte arenæ siccitas, & frigus pingvi

Podin. metb.
Hist. cap 5.
AN. C13. 13XCVI.

EVERGETES CHRISTIANUS.

qui fimo emolliri atque incallescere queat; ut vinum nobilissimum, uberrimâ copiâ, Rhenano sæpe, sæpe Ungarico æmulum, progerminet! Mero exotico cum lubentia carebat: quia domestico abundabat; juxtâ quoq; adprobabat verum Catonis acroama: *Nequam esse patrem familias, qui emat, quod fundus dare possit.* Alibi molas eduxit; non ad fruges tantum confringendas: sed cudentum quoque ferrum: ne quid Sicilia Silesiæ, Ætnam ostentans, exprobrare ausit. Alibi investigabat puras aquarum scaturigines; quæ fundamentum sunt nutritionis nostræ ad salubritatem: inventas deducebat per canales: ut quod gravitate suâ per naturam eniti non poterant, propulsæ ingenio hominis adscenderent. Alibi excavatâ tellure, & in tumulos aggestâ circum-circâ piscinas fodiebat: ex quibus non SCHÖNAICHIANÆ tantum ditionis cives & incolæ habent, unde laurè victitent: sed in viciniam quoque, communi bono, pisces exportentur. Illa verò agrorum immensa amplitudo, cujus industriâ atque perspicacitate condita fuit? Unius & unici Domini: qui suis auspiciis, suo ductu, non alieno, hic tuberosam inæqualitatem soli complanavit; illic truncos spuriarum stirpium, inutiles arborum fruticumq; fibras è sylvescente tellure averruncavit; jejunam sterilemq; glaream emendavit: hinc, deductâ per sulcos & fossas aquâ, uliginosis plantis evulsis, gratam siccitatis temperiem induxit: illic sublimes aggeres eduxit, & valla opposuit furenti Oderæ: ne vel ejus, vel aliorum torrentium eluvione novis prædiis injuria adferretur. Jacta erat alea: sed in ipso fervore operæ non raro emergebat difficultas ejusmodi; quæ diffidentem aut viribus, aut successui, à conatu ipso deturbasset. SCHÖN-

CASPARIS DORNAVI

AICHIUS, cui leviculus error sapientia magister erat,
—*contra audentior ibat.*

Herod. lib. 1.

Plin. l. 4. c. 4.

Philostrat. in

vit. Apollon.

Seneca.

Lib. 36. cap. 12.

*Hofius in re-
nummar.*

Convocabat enim per insomnes noctes, cogitationes suas, magnâ judicii dexteritate: quâ ita usus fuit: ut, cum spectatorum atq; auditorum turba multò maxima, tentari idem diceret; quod Rex Democritus, Dictator Cæsar, Cajus Princeps, Domitius Nero: cum inani juxtâ, & infausto conatu Isthmum Corinthiacum perfoderent; Ille operariorum auget numerum; labores continuaret. Non deterrebat plebejis judiciis. nec vulgari viâ grassatur illustre ingenium: sed ut sidera contrarium intendunt mundo iter: sic illud quò excellentius; hoc magis contra opinionem, contraq; consuetudinem omnium agit, vaditq;. Non parcebat sumptibus: quanquam pauciores impendit; quàm initiò, primâq; dimensione, rationes inierat. Jucundum erat, cernere; agmen fossorum inter cantus & júbila contendere laboribus: qui annonâ ingravescente, largâ frugum distributione & mercedis alleciti, hinc inde confluebant. Plinius autor est, in extruenda una pyramide mille octingenta talenta fuisse impensa: unde raphani coëmerentur, & allium & cepæ; quibus vescerentur artifices: quam summam, si, valore Ægyptio, ad nostros referre nummos lubet; quater decies centena quadraginta millia coronatorum constituet. At cui usui illa pyramidis moles? nisi ut vanæ ostentationis monumentum exstet: quamque verè

stultitiam patiantur opes.

Ex hac molitione, atque eductione prædiorum, Vos judicate, Auditores; quantum emolumenti ad CAROLATENSEM ditionem; quantum solatii ad gregem Christi redundet. Ex tam felici successu, plurimis in sperato, major

EVERGETES CHRISTIANUS.

Major quoq; subinde emergebat SCHÖNAICHI autoritas: quæ et si divinitus in animis hominum præclaræ Virtutis admirationem confert; prosperitatis tamen ita comes individua esse solet: ut, quò se fortuna, eò se favor hominum inclinet. Utrisq; bonis jam cumulat SCHÖNAICHIUS, reddebat sibi addictos plurimorū animos. Domus ejus veriùs, quàm Juris consulti, quod Tullius ait, commune erat Oraculum; ex qua consilia petitū ibant gentiles, propinqui, cives, incolæ, exteri, longè propeç; liti. Nequit moschus aut ambra fragrans profundè satis in cista demergi; neq; ipsa aromata, licet densis linteis involuta: quin odor longè, latèq; se didens, spiritus recreet: nec Virtutis amœnitas tegi obscuro tenebrarum carcere potest. Ergo publica quoq; dignitas accessit: cum ab Augustissimo CÆSARE, sine ullo suo ambitu, accenseretur inter Palatinos illustriores, & CONSILIARIOS Curia; quam SILESIAE CAMERAM appellant. Quo munere cum fide atq; diligentia summâ fungeretur: ipsiq; adeò librarii audent dicere: unâ se hebdomade plus fatigari scribendo, agendoq; præsentem Schönaichio: quàm illo absente quatuor aliis: Cæsar ipsum, quod erat boni Principis, honoribus maectavit, & BARONIS titulo; FABIANO quoq; meritissimo suo, quondam attributo. Hunc Ille anxiam quadâ superbiâ, cum qua modestia ejus convenire nunquâ poterat, non expetivit: sed oblatum nõ repudiavit: ne aut Virtuti inimicus videretur; quæ honestamentū admittit: aut pratermitteret aliquod officium, gentē suâ exornandi. Si n. impius est; qui de facultatibus suis aliquid disperdit, in suorū perniciem: is sanè quo nomine appelletur, non video; qui familiam ullo gloriae magmento spoliat. Ad majora vocabant eum divina providentia, & Silesia Principes Proceresq; per quos, tanquam

Senec.

Plutarch.

An. cl. 1301.

CASPARI DORNAVI

tanquam internuntios, decreta sua communicare Deo cum populo solet. Postquam enim SILESII CANCELLARIAM suam cum BOHEMICA, arduis de causis, conjunctam amplius nollent: consentiente Matthiâ Rege, unus SCHÖNAICHIUS ex tam illustri Magnatum corona, voluntate omnium, & adplausu incredibili dignus fuit iudicatus; qui CANCELLARI dignitatem susciperet, sustineret. Suscepit; etsi jam occidua ætatis præsentiret adventum: sustinuit, at quâ prudentiæ laude, accommodatus ad tantam morum, ac sermonum, ac voluntatum varietatem! promptus salutaris consiliorum copiâ: sive ex arena erant capienda; sive consignanda tabulis: qualia in causis arduis, non Silesiæ tantum bono, sed Orbis Christiani universi CÆSAR ab eo frequentissima exigebat. Qualiæcunque essent, expromebat ea tantâ mentis constantiâ, tam composito adfectu: ut neque rebus deessent nervi sapientiæ, iustitiæ, moderationis; neque à verbis gravitas abesset, aut cum perspicua brevitate elegans cultura; sed æquabilis, plana, ultrò profluens; sed sine adfectata granditate; in qua vanitas est; tumor styli, tumor animi. Commodè nunc se mihi ingerit CRATERUS & HEPHÆSTIO: ambo in delitiis habiti ab Alexandro Magno; sed diversis dediti studiis: cum alter regni, alter regis amicus vocaretur: quoniam ille de salute patriæ multum erat sollicitus; de regis cupiditate minus: hic immodicus captator gratiæ regiæ; de incremento boni publici haud perinde laborabat. SCHÖNAICHIUS utramque personam sustinebat: cum Optimus CÆSAR nihil sibi, præter cultum Majestatis, ceterâ bonum publicum deposceret. Atqui personam CANCELLARI ita sustinebat, ut salus Patriæ Silesiæ: suprema,

An. s. l. b. cxi.

Plut. in vit.

EVERGETES CHRISTIANUS.

suprema lex esset: huic vigilabat; huic vacabat; huic laborabat: ab ejus privilegiis tutandis, à Principū ornamentis, à commodis procerum, ab utilitate communi non patiebatur se unquam aut ullius mortalium odio, aut amore, aut precibus, aut precio avocari. Ex quo ita pandit, ut sic dicam, vela Zephyris gratiæ: ut hinc CÆSAR optaret, sibi contingere decem SCHÖNAICHIOS; quot Nestoras optabat Agamemnon: Patria verò tot item SCHÖNAICHIOS; quot Zopyros cupiebat Darius; quot grana in malo Punico numerantur. Et quia multum ad auctoritatem facit externa magnificentia, sine fastu, aut luxu: CANCELLARIUS spectatissimus, domi splendoris incurius; foris, ad patriæ decus honorificè sustinendum, comitatū auxit, lectis in familiam pluribus, dignitate generis, aut virtute conspicuis. Ex iis amabat sincerè eos; qui diei partem optimam honesto aliquo labore transmitterent; minimè ex adverso ferebat ociosos, inertes, inutiles, qui plerunque id agunt: ut, cum sibi maxima quæque deberi arbitrantur; ementitis quaquà possunt calumniis onerent probatissimos quosque: in ipsum denique benefactorem, nisi omnia concedantur, insurgunt. Clientes porrò suos, in hac provincia, comiter excepit, habuitq;: cumq; adversari mutuò sibi viderentur severitas, & benignitas; benignitatē condiebat severitate; illud felici ausu præcavens: ne quid severitati lenitas, ne gravitati facilitas, ne auctoritati mansuetudo detraheret. Hoc temperamento, paucis familiari, non rugis caperata frontis, neq; Cynicâ austeritate, aut adducto supercilio, clientum reverentiam adversum se parabat; sed facilitate, comitate, & ipsi propriâ quadam sermonis amabilitate: quæ sunt Herculis

*Aristot. in
Ethic.*

CASPARIS DORNAVI

lis Celtici aurei illi annuli; quibus catenatae hominum mentes in mutuum nostri amorē pertrahuntur. Quamvis autem faciles ad eum paterent aditus omnium: iniquus tamen iudex nemini mortalium fuit: humanitati ratus servendum; sed usq; ad aram religiosae Justitiae. In hujus exercitio saepe, quod scio, recordabatur: leges, quae in schola sunt virgines, in foro fieri meretrices: non suam naturam: sed vitio rabularum quorundam; quos Constantinus Caesar, curiae sorices appellabat: qui permulta, legibus preclare constituta, ingenii suis corrumpunt; malis artibus depravant; causas circumducunt in immensum:

Plin. Paneg.
Cic. pro Murena.

Plaut. in Paenulo.

— qui ubi nihil est litium, lites serunt.

Justissimus SCHÖNAICHIUS obstruebat fontes mali: qui, ambages litigantium, & diverticula omnis prolixitatis ut cohiberet; causas arcē conscendebat statim; reque ipsam ex actis, & probatis perpensa, secundum leges dabat sententiam prius; quam vitricantes Patroni causarum, factores, factoresque discordiae & miseriae, ex depauperatis Clientibus pabulum, veluti ex cadaveribus vultures, petere possent. Videtis, Auditores, quo praesidio instructus, & divitias fuerit adeptus, BARO perillustis; & dignitatum fastigia. Credo; Vos expectare: ut planum faciam: in quos usus bona sua converterit: cum difficilissima felicitatis pars sit; felicitate moderatè uti. Praestitit hoc de se GENEROSISSIMUS SCHÖNAICHIUS abundè: qui tantum aberat; ut partem aliquam praetermitteret eorum; quae caelesti debentur Numini: ut ne hominibus quidem denegaret officium ullum; quod vel ad humanitatem, vel Christianismum pertineret. De Deo quem admodum ipse sentiebat pure, castè, sobriè; non ad ullius mortalium traditiones; sed accommodatè ad simplicissimam

EVERGETES CHRISTIANUS.

missimam auctoritatem sacrae scripturae; & conspirantem harmoniam Symboli Apostolici, Niceni, Athanasiani; concilia item, Nicenum, Constantinopolitanum primum, Ephesinum, & Chalcedonense: ita sonare volebat eandem doctrinam in auribus, & demitti ad animos omnium incolarum sui territorii: sed sine carnificina conscientiae. Si quem enim sequioris mentis ab se prospiciebat secedere: nec suam opinionem aggregare sibi in cunctis articulis Religionis: eum, ex praeepto Paulino, cum omni animi submissione & lenitate, cum ira cohibitione, sustinebat per charitatem: studens conservare unitatem Spiritus per connexum pacis. Existimans ergo, in uno eodemque caelo convenire posse eos, qui in fundamento consentientes, de interpretatione sola, non veritate verborum litigant; severè prohibuit: ne in Ecclesiis suis, ne in hoc Gymnasio vel amarulentae criminationes, in dissidentes jactae, audirentur: vel novis atque insolentibus loquendi formulis divina oracula traducerentur. Docuit quippe omnis Ecclesiae aetas; cum alioqui natura hominum sit *αΨινοεργη και Φιλόκαλον*, fastidiat praesentia, appetat nova: Satanam subinde usum fuisse hoc stratagemate: ut portentosos doctrinae errores sparsurus, verbis inusitatis prodere. Christi potius imitatione, vitae sanctorum, contendebat, stabiliendam esse vocationem nostram, in simplici fidei sinceritate: non clamoris, spinosisque argutiis, aut verborum duellis: quonia Christus, in critico illo extremi mundi die, ex nullo percontaturus sit: quo ingenii acumine, qua lingua volubilitate, quo adfectu conflictu disputaverit de religiosis controversiis; sed quos fructus fidei tulerit: qua bene vixerit; non qua benedixerit. Profuisset sane Ecclesiae vulneratæ egregio libro: quem

Eph. 4. v. 2. 3.

Jacob. Acont.
lib 3. stratag.
Sathan.

Thucyd.

Fundatio Gymnasii.

Thom. de Kēpis lib. 1. de imit. Christi

cap. 3.

C A S P A R I S D O R N A V I

quem de CONSISTORIO, in SILESIA constituendo, cepit continere: si vel ad umbilicum perducere illum, vel excolere relicuisset, atque in publicum proferre: quo quasi malagmate, exasperati animi Evangelicorū molli, dissidentes ceu prudentiæ vinculis & charitatis redu-niri potuissent. Ipse verò, quantum in se erat, Christianismum suum exercebat, cum aliis regenerati hominis partibus; tum imprimis divino cultu, quâ publico, quâ privatim instituto. Sacras conciones, nisi morbi vehementia prohiberet, nunquam neglexit; auspicatus eas cantu, et si voce horridiusculâ non nihil & absonâ: quam postea crebrâ modulatione ad intervalla Musica flexit paulò felicius: delectatus item Psalmodiis in itinere, quas, cum lectione sacra conjunctas, à cœlo albescente, ad horam propè prandii traxit. Nunquam accessit ad mysticum illud convivium Christi: quin precibus sese, & jejniis apparaverit. Quò verò melius

Stigel.

— *alios alii de religione docerent:*

templa exstruxit, aut dotavit: duo CAROLATI; in quibus & vernaculo nostro & Polonico sermone verbum Dei disseminetur. LIPPENSI verò quod beneficium contulerit, primo illic Ecclesiæ ministro constituto, res loquitur; quæ verborum lenociniis carere amat. Istud porrò BETHANIENSE cum exstruetur: tum Equestris Ordinis hominibus votiva donaria conferentibus: tum FABIANO SCHÖNACHIO, præter congiarium suum, senatui oppidano mutuo concedente haud parvam pecuniæ summam: impetravit suadâ suâ religiosissimâ pius Noster: quò mutuum illud civibus omninò remitteret. Dispensatores verò mysteriorū Dei ita observabat comiter atq; honorificè: ut, quantū venerabatur modestos,

E V E R G E T E S C H R I S T I A N U S.

modestos, diligentes officii sui, negligentes alieni: tantum ei ex adverso acesceret, cum dolore: quotiescunq; cernebat (cernebat autem, & cum eo alii frequenter) nonnullos petulantia, & *πλεωργυσίῃ* ordinem suum collutulare. *Istud hominum genus, aiebat, quidvis sibi permittit: quidvis, quod libet, licere putat: quoniam Magni Domini servos se esse intelligunt.* Quanquam verò cum pura religione, puras quoque amabat ceremonias: ipse quoque in sacrario suo adhibebat: (utinam perinde ubique liceat, impuras reliquias excernere) minimè tamen putabat è re populi Christiani futurum; si ceremoniæ aliæ, ab hominibus longo seculorū usu, an abusu introductæ, impetu præmaturò, nondum edoctâ plebeculâ, tollerentur. Piè sanè & magnificè! quippe serpentinâ prudentiâ temperanda est columbina pietas: nec imitandi juvenculi; qui superioribus annis, cum viderent proceres quosdam rei literariæ sapienter adhibere Criticos ungues in corrigendis librariorum erratis; ipsi

(*O imitatores servum pecus*)

Horat.

omne ætatis, & succulentum illud & capacissimum tempus traducebant in vocabulorum examine: mirum, quàm effusâ læritiâ tripudiabant: cum dictiunculæ alicujus apicè expunxerant, aut restituerant! securi admodum de thesauro ipsarum rerum ad communis vitæ usum transferendo. Suntne his Critic astris dissimiles illi; qui de doctrina haud æquè anxii, ceremonias tantum impugnant: de fundamento verò Christianismi altero, quod est, edere fructus fidei in exercitio bonorum operum, sine quibus nemo adscribetur civis in cœlestem Hierosolymâ, quàm leviter! de disciplina Ecclesiastica, quàm superfundoriè, quàm perverso ordine quidquam

CASPARI DORNAVI

fusciunt! Præstat; si utrumque non possit unâ fieri, eademque operâ; quod optandum, conandumq; maximè: præstat verè uno anno peccatum abolere unum, & doctrinâ, & exemplo: quàm uno die amovere decem ceremonias; quæ sine cauterio conscientia, in gratiam imbecilli fratris, tolerari tantisper queunt: dum veritas juris occasione facti à Deo victricem palmam obtineat. Corda nostra, cui ulceri scalpellum nemo adhibere audeat, quotidie reformemus. Quod incomparabilis PATRONUS noster faciebat serid, sedulo: adscitis in auxilium precibus. Ad has religiosius concipiendas, horarium sibi matutinum, in cubiculo, exclusis, præter Conjugem, omnibus aliis, sumebat: pro virium robore, modò congeniculans cum Salomone, Petro, Christo ipso: modò stans erectus, cum Moysè, Davide, Paulo. Ad mensam accessit nunquam; nunquam eâ consurrexit: quin domi suæ, alibiq;e, absente Ministro Ecclesiæ, ad orandum Ipse clarâ voce præiret coëpulationibus: quodque alii reputassent infra ordinem suum; id honori sibi vertit (quia piû erat,) verba precatationis recitare, complicatis manibus, in cælum versâ facie, corpore universo ad modestiam, religionemque humiliato. Nimirum arbitratus id, quod res est: turpem quidem fore strepitum labiorum; ubi cor sit mutum: planeque requiri; ut

Quod facis ore foris, mens prius intus agat:
nihilominus cum interiore adfectu & puro pectore omninò etiam externum cultum, membris ad humilitatem compositis, jungendum esse. Etenim Deus, non animæ tantum, sed corporis etiam, quod animæ templum statuimus, conditor; partium omnium ministeria jure suo flagitat. Itaq; in fervida illa precum contentione,

EVERGETES CHRISTIANUS.

tionè, ab interpellantibus quandoque visus est densas lachrymas profundere: quas, utpote vulneratæ animæ sanguinem quendam, Deus procul dubio & sacrificii loco accepit; & cum Davide loquor, *numeratas in utre misericordiæ suæ collegit.* Quantum verò sollicitus erat mane; se, viasque suas Jehovæ commendare: ne ad lapides criminum offenderet lubricos pedes: tantum vesperi dabat operam: ut, fratri mortis, somno se commissurus; prius cubiculum cordis sui ingrederetur: nec se daret quieti;

Omnia quàm longi repetiverat acta diei: *Aut. In viro bono.*
probè & ad unguem se examinans, compellans:

Quid prætergressus? quid gestum in tempore? quid non?
O præclarum institutum, conscientia hoc modo, quotidieque examinata! nos verò ô incurios salutis nostræ, qui tam salutare pharmacum animæ juxtâ habemus & ludibrio! Næ deteriores sumus Pythagoræis! qui duorum temporum maximam habebant curam, matutini, vespertini: eorum nempe, quæ acta, quæ agenda sint. Arguit nos impiæ socordiæ Sextius: qui consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogabat animum suum: *Quod hodie malum tuum sanasti? cui vitio obstitisti? quâ parte melior es?* Quid Epicurus? ad cuius nomen auditum, propè est, ut obstruamus aures. Atqui ejus est hoc scitum: *Initium salutis, notitia peccati:* quasi cum Tertulliano conspirandum loquendumq; sibi duxerit: *penitentiam humana salutis quasi pharum esse.* Quis enim corrigi se velit; qui peccare se nesciat? Nequit hortulanus producere salubres herbas, aut flosculos amœnos: nisi continenter sarculo suo noxias radices investiget, eruat: nequit ex animæ nostræ hortulo, liliu castitatis,

CASPARIS DORNAVI

tatis, rosa charitatis, viola humilitatis, palma pietatis, laurus poenitentiae excrescere: ni, quotidianam censuram conscientiae, fibras pravarum inclinationum elidamus. In hac licet aestuante contentione orandi, adeo tamen sibi ipsi non satisfacerebat: ut suspirans saepe, non sine fletu, obtestatus Deum fuerit: dignaretur sibi in subsidium mittere Spiritum Sanctum: cujus igne cordis sui glacies, ad precandum ardentius, solveretur. Adeone SCHÖNAICHI, in fervido studio Tibi non places? Quid nos, Auditores? qui desultoria mentis inconstantia, violenter in alienissima ab oratione rapimur: quasi sit aliud, quod magis cogitemus: quam quod cum Deo loquamur. Quomodo ergo nos audiri à Deo postulamus: cum ne ipsi quidem nos ipsos audiamus? volumus Deum memorem esse nostri, cum rogamus: quando ipsi memores nostri non sumus. SCHÖNAICHIIO autem verba plerumque dictabat pro re nata necessitas; pectus suspiriis exundans movebat linguam, quasi plectrum mentis: qua diversissimas precandi formulas concepit, consignavit, memoriae mandavit. Nullum annum neque auspiciatus fuit, neque terminavit; sed ne ullum negotium, aut vitae actum suscepit: nisi peculiaribus excitaret animum precibus: quarum in tantum numerum excrevit varietas: ut collectae, in tria volumina justae magnitudinis, manu defuncti conscriptae, concinnari queant. Ex iis libellum unum, quasi preciosissimum florilegium, inter *νεμυθλια* sua, & arrhas sponsalicias, diligentius, quam pici aurum suum, custodivit generosa ELISABETHA LANDSCRONEA; atque etiamnum Illustris JOANNA SCHENKIA in Gynaeceo suo servat. Quasi, beneficio typographiae, promerentur in lucem, ad spectumque hominum: spon-

Cyprian. de orat. Domin.

EVERGETES CHRISTIANUS.

sionem facere ausim, ingenuam confidentiam: tantum inde laudis ad SCHÖNAICHI nomen accessurum: quantum ex nobilissimis atque illustrissimis nonnulli, hoc scriptio- nis genere consecuti sunt; JOANNES DE LA PRIMAUDADE, Regis Galliarum Consiliarius, Joachimus BEUSTHIUS & MENSINGERUS: ut venerando silentio intactos relinquam Principes quosdam, & Electores Germaniae. Cum isto ardore orandi, qui animae ejus erat instar gemmae in annulo, conjungebat sacrae scripturae lectionem & frequentem & attentam. Divertebat quoque ad Theologorum scripta; non ea, quae infami contentio- nis foeditate prostituunt communem, existimationem: à quibus tota vita abhorruit, oculosque bonis omnibus abducendos putavit. Cum lubentia, quadam, animo haud exerrante, salutabat insignem libellum THOMAE KEMPIS ante centum & octuaginta circiter annos de imitatione Christi editum. Non aspernabatur, quae ROBERTUS BELLARMINUS in *Enchiridio de ascensione mentis in Deum*, docta pleraque & religiosa literis prodidit; illustri experimento: liberalibus ingeniis tum demum Christi spiritum familiariter fieri; cum à litigiosa disputandi prurigine deferberint: nigro calculo minimè nobis condemnanda; quae Deus arcano suo judicio servavit. Ex Evangelicis Doctoribus familiarissimè habebat eos; à quibus non doctior tantum in scientia fidei redderetur; sed melior quoque, ad vitae innocentiam; qua sola fides activa est, & efficax, atque salutaris esse intelligitur. Placebant PHILIPPI MELANCHTHONIS scripta, plena erudite pietatis: amabat CASMANNI divino spiritu animata suspiria: per charas habebat MÖLLERI Gratias pienssi-

CASPARIS DORNAVI

simas : fovebat in oculis & osculis SCULTEI purum mellificium, perfectum Christianum absolvens: exosculabatur GERHARDI meditationes religiosas: delitabatur in JOANNIS ARNDTI lautitiis egregiis; & præclara THEOLOGIA, quæ GERMANICA inscribitur. Ex his quasi armamentariis tutelaria arma depromebat, adversus procurfantia mala; quæ ipsi non sinebant semper in rosas & violis ambulare: quemadmodum, in hac æstuaria vicissitudine volubilis vitæ,

Manil.

*—subtexta malis bona sunt: lacrumaq; sequuntur
Vota; nec in cunctis servat fortuna tenorem.*

Junctus hoc quasi glutine Deo, disjunctus seculo, ab amatoribus hujus discriminatus; contemnebat quicquid hinc excelsum; tanquam verrucam è terra protuberantem; aut folium aquilone dispersum; aut bullam conchâ excussam. Mirabimur ergò, Auditores, tam faventem habuisse Deum; qui cum Deo toties, tamque familiariter collocutus; quo cum vicissim Deus sermocinatus frequenter fuit? aut dubitabimus; qui tam prono fuit amore in Deum, non dilexisse item homines? Dilexit, Auditores: Vos modum cognoscite; in memoriam redite; atque expendite, quod ex ore pii Ecclesiæ Patris accepimus: *Maximum ad justitiam auxilium esse; implere divinis eloquiis animum: & quod opere exequi cupias; semper corde meditari.* Justitiam dico: nemini quippe mortaliū gravis fuit; potentiā suā conculcavit neminem. Cū prædia sua instruxisset; vicini que quiritare viderentur; de jure suo lignandi venire se in dubium: quamquam ad huc lis erat sub judice: transactione tamen pacifici cum ipsis maluit; & pecuniæ, quàm amicorum jacturam facere: vel suspitione ullâ laborare ad se vocati boni

Hieron. ad
Celunt.

EVERGETES CHRISTIANUS

boni alieni. Hanc juris & æqui bonitatem cunctis vicinis præstitit; ipsis quoque subditis: inter quos commerciorum, & universæ societatis jura honestissima sancivit, atque tutatus est: subinde respiciens; non quid

—pro ratione voluntas;

Ovid.

sed

—quid moneant leges, quid curia mandet.

Juvenal.

Utebatur aure utraq;: suppliciiis haud sæviebat; quæ magistratui perinde sciebat esse probro; si frequententur: atque medico crebra funera: Deo verò de minutissima guttula humani sanguinis rationes reddendas esse. Itaq; mansuetudinem propriam sibi fecerat, clementiamq;

Plato.

—mitis precibus, pietatis abundans,

Claudian. 4.
consulat. Honor.
I.

Pœna parcus erat:—

omnia quidem scire cupiebat; non omnia persequi: parvis peccatis veniam accommodabat; magnis severitatem: nec pœnâ semper, sed pœnitentiâ sæpius contentus. Sed audio mihi paratum esse oblocutorem; qui mansuetudinem Patroni Nostri exagitandam putet: quoniam ad iram pronus admodum fuerit; atque adeò excanduerit quandoq; levicula de causa. Ego verò impudens sim, meique planè oblitus; si negare velim: aut hoc vitio caruisse SCHÖN AICHUM; aut aliis: sed quæ compilare, non est, neque pietatis meæ, neque ullius commodi. Faciat alius quispiam, si fas est, si audet; sed qui eò usq; & omnibus numeris impleverit innocentiam: ut, ne vestigans papulas in alieno vultu, ipse ulceribus intus scateat. De cætero enim res plana est: nullo naxo adspergi aliquem, aut pulvere; alterius, non hujus vitæ exempla esse.

CASPARIS DORNAVI

Senec. lib. 2. de ira cap. 20. Corripiebatur interdum, in tanta interpellantium importunitate, præcipiti irâ: quid tum? nonne cuilibet etiam formicæ suavis est; divitibus maximè, & felicibus, & nobilibus & magistratibus, cunctis generosæ indolis. Atqui plumea erat ejus ira; non plumbea: ardebat in stipula tantùm, citissimè deflagante: non in tenaci ferro; qualis ea est, quâ homines amarulenti efferantur: ut qui escere non possint: nisi vindictâ ignobili mulierosum animum expleverint. Cùm ergo

Horat.

Ira sci facilis, tamen ut placabilis, esset:
citiùs, quàm manum verteres, ad se redibat; sibi displicebat; petenti, sui ipsius castigator, ea sæpè largiebatur; quæ minimè aliàs, ne à ridenti quidem, impetrasset. Obstitabat tamen naturali huic impotentix, quantum poterat: cohortatus haud rarò Ecclesiasten aulæ suæ JEREMIAM COLERUM, Virum Præstantissimum: ut scintillantem iram, quoties animadverteret, monitis supprimeret priùs, quàm flammâ diduceretur. AUGUSTUM SAXONEM concessisse idem jus ANDRÆ PAULI, Viro nobilissimo, accepimus: quod, ut Octavius Augustus Cæsar faceret, Athenodorus suasit: ne quid iratus diceret, aut faceret priùs, quàm Græcarum apud se literarum viginti quatuor elementa recensuisset. Quanquam verò, vulgari fato,

Publ. Mimus.

Fulmen est, ubi cum potentia habitat ira:
nemo tamen unquâ inventus est; qui SCHÖN AICHI irâ læsum se fuisse passus sit. Læderet verò? qui totâ vitâ, etiâ infimi mortaliû, avertere ab se odium consuevit. Neminem præ se ferebat, utut vilem. cùmque amicos veteres constanter coleret; præ cæteris Viros Illustres atque Generosos, NICOLAUM BURGHASIUM, MELCHIOREM RECHEN-

EVERGETES CHRISTIANUS.

RECHENBERGIUM, WENCESLAUM ZEDLICIUM, JOANNEM NOSTICIUM, alios: haudquaquam putabat; negligendas esse abjectissimi cujuscunque homuli inimicitias;

— *quasi vana esset sine viribus ira.*

Cordatè; si quid valeo iudicio! Supplet enim imbecillitarem malitia; quæ vires ad nocendum, quas non habet, acquirere tandè ingenio potest: ut ad nocendû fiat maximus; qui virib. videbatur minimus. In quo Justitiæ & æquitatis & moderationis complexu, addo etiam studio conservandi amicitias, ne quid præter rem decerneret: minimè commisit; ut à delatoribus aut assentatorum turbâ circumveniretur: quos Bonaso tetriores esse novebat: quoniâ fœdâ oris sui illuvie conspurcant inscios atque immerentes. Antequam ergo fidem ullam præberet accusatori, præsertim clanculario; perpendebat ejus indolem, mores, facta: num assuetudine, aut naturali proclivitate propenderet ad delationem, & res supra fidem augendas: discutiebat narrata perquam diligenter. A suspicionibus tam longè aberat: ut clarissimis verbis, non rarò factis ostenderet: tum pendulam esse è præcipitio omnem credulitatem, quæ ex conjecturis ambiguis nascitur: tum eum, qui in minimis maxima perhorrescat, in cujusvis fronte legat signa hostilia, in omnium oculis cernat insidias, perpetuò luctari cum ærugine pectoris; tranquillum spiritum ducere non posse. Ad liberalitatem porrò promptissimi Benefactoris declarandam, unde sat verborum congeram? vel potiùs, quomodo conferam in compendia? quoniam in amplitudine rerum variarum, non tam de copia sermonis laborandû; quàm modus tenendus videatur. Tam enim certum est: benefi-

CASPARIS DORNAVI

*Plutarch. in
apoteb.*

beneficia illi non hæsisse cum Phocione inter manus; sed largissimo flumine promanasse in propinquos, in externos: quàm est exploratum; rebus humanis ipsum aliquando interfuisse. Promptior non erat in promittendo; quàm posset perficere: prosecutus semper odio pollicita magnifica, cupressis similia: quæ sublimes cum sint ac pulchræ; procul intuentibus videntur egregium quid ostentare: ubi propè accesseris; fructum non habent. Testantur gentiles ejus, & porrò testabuntur; quàm diu superstes erit memoria aliqua SCHÖNAICHIANI nominis: Dynastiam CAROLATENSEM, Fundatoris hujus sanctione, esse totius familiæ, quasi cornu quoddam Amaltheæ: unde vitæ subsidia petere possint, utriusque sexûs; si fortè novercantem fortunam experiantur. Universo verò MAJORATU, quem vocant, & successione primogeniti illud emergit commodum: ut fundi gentilitii, qui, in plures divisi, facilè dissipantur, unius dominatu, legibus adstricto, in spem ac perpetuitatem totius familiæ conserventur. Quod, ut nostro seculo Gallis, Italis, Hispanis, Anglis, Scotis, Belgis, quibusdam è Germanis visum est commodum: ita Lacedæmonis quondam, Macedonum genti, Persis, Syris, Ægyptiis, Gothis, ipsis quoq; Israëlitis, autoritate divinâ placuit. Nec exiguum ornamentum æstimetur universogeneri SCHÖNAICHIANO, atq; CARLATENSIS. Quanquam in hac ædificanda, tam erat teneræ conscientia: ut multoties secum ipse disceptaret cogitationibus: dissentiret quandoq; ab se planissimè: posse quempiam citra vulnus religiosi animi, de facultatibus suis memorabile aliquid in domicilia magnifica impendere. Tandè ita induxit animum suum: neminem equidem decere structuras moliri superfluas; sed nec fas esse, prætermittere

EVERGETES CHRISTIANUS

tere necessarias: permitti verò patrifamilias, prudenti & attento, non obarato; semel totà vità structuras excitare, vel patriæ bono, vel gentilium, tantis sumptibus; quantos, exempli gratiâ, unius anni reditus conferre valeant. Existimabat enim: non tradere posteris loca tuta & comoda, esse graviter in longam ætatem peccare: nec sufficere veterum, & jam quasi cariem perpeffa ædificia: cum nihil sit, manibus humanis elaboratum: quod non aliquando ad interitum redigatur; vel injuriâ hominû, vel ipsâ confectrice omnium vetustate. Utinam in vivorum adhuc esset numero JOANNES GEORGIUS SCHÖNAICHIUS, frater hujus Nostri, Cæsaris Consiliarius; Vir intus, & in eute candidus, probus, prudens, benignus; gratus omnibus; inensus invisusq; nemini: testaretur ille: quâto donario à Fratre fuerit adjutus: cum possessiones nobilissimas emeret. Quanquam verò ille, superiori anno & eadem septimanâ mortuus, & eadè septimanâ dieque terræ mandatus, quâ GEORGIUS Frater: ipsa tamen rei gloria terrâ non obruitur; sed subinde liberalissima isthæc, Phœnicis instar,

— *fit vivax Virtus, expersq; sepulchri;
Notitiam seræ posteritatis habet.*

*Ovid. 4. de
Ponto.*

Reliqui verò aut consanguinei, aut juncti propinquiore adfinitate, tam munè experti sunt Patronû hunc, Patremque: ut quandoq; verborû aculeo, sed amico & salutari, pungere soleret eos, qui beneficiû petere, vel verecûdabantur, vel dubitabant: planissimè imitatus Alexandrû Severum Imperatorem; qui minimû rogantes, appellabat, quasi increpans: *Quid est, cur nihil petis? num me tibi vis fieri debitorem? pete; ne privatus, de me queraris.* Fuit omninò talis munificentissimus GEORGIUS, in externos promiscuè, cujuscunque conditionis homines, sive

CASPARIS DORNAVI

sive conjunctim, sive singillatim, sive publicè, sive privatim, sive perpetuis beneficiis, sive temporariis. Eum si Panegyricus conspexisset Poëta; non minus, quàm de Probi munificentia, prodidisset literis:

Claudian.

*Nunquam divitias nigrantibus abdit in antris:
Nec tenebras condemnat opes: sed largior imbre
Assolet innumeras hominum ditare catervas.
Quippe velut denso currentia munera nimbo
Usg. videre licet populis nudare penates;
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.*

*an. 613. 13. 60.
d. XIX. Mart.*

Quo enim loco habebimus ab illo ante annos XIV, ex fundamento eductum, *XENODOCHIUM*; nec modò eductum; sed redivisibus dotatum? in quo septuaginta circiter, aut invalidi senes, aut pueri imbecilles, aliæ personæ miserabiles, instruuntur cunctis quidem vitæ adminiculis, sed ad necessitatem sufficientibus; non ingluviem, aut illecebras, aut aliorum avaritiam: qualia Nosocomia cum prohibuisset exstrui Nicephorus Phocas; nescio an fecisse improbè dicendus sit. Quid *SCHOLA* nostra? Verba non invenio; quibus exornem inestimabile hoc munus; quo adfecit, non dico, hanc Bethaniam, non Patriam Silesiam, non denique Germaniam: sed Orbem Christianorum propè universum; ad cujus incolas, ubi-ubi collectos, redundare aliquis fructus Bethanèi hujus possit. Habent, quam meriti sunt laudè æternam, Principes Augustissimi; qui scholas fundaverunt numero plurimas, venerabiles antiquitate & præstantiâ: sive Statuum, subditorumque contributione: sive legatis, aliisque ad pios usus jam antè destinatis. Ab his jure sibi vendicat locum proximum *SCHÖNAI-CHIUS*, qui de manu suarum opere, de primitiis terræ

ab

EVERGETES CHRISTIANUS.

ab se excultæ, sine sudore populi sui, consecravit tam divinum holocaustum præpotenti Deo: cui sine dubio gratissimus odor exspirat: cum duo & septuaginta juvenes, adolescentes, pueri, exteri æquè ac cives, sine ullo sumptu, liberalissimè uno eodemque cœnaculo, nutriuntur cibo potuque, & abundè ritèque apparato. Quàm est dignum, quod ad æternitatem transmittatur! salariis annuis liberaliter ali *VIROS DUODECIM*, famâ, doctrinæque celebres; qui in Gymnasio Theologiæ sacris, & Jurisprudentiæ, & Medicinæ, & cunctis Philosophiæ mysteriis initiare juventutem possint; *SEPTEM ALIOS*, qui pari fide, pari industriâ disciplinas Logicas, artium pietatisque rudimenta in Pædagogio tradant. Ipsum *BETHANIENSE OPPIDUM* multimodis ampliavit: tum utraque ripâ Oderæ ponte egregio conjunctâ; vallis item fossisque additis: tum platearum & aliorum ædificiorum auctario: cives non modò ad ædificandum ex se pronos, excitans; sed instruens quoque; donariis, ligno, lapide, latere, aliâ materiâ. Illud quoque egit; ut subditis ad unum omnibus beneficium: cum primis ad civiliorem cultum traducerentur Bethanienses: & famâ subinde crescerent ac opibus: exemplo aliarum Urbium; quarum,

— *bona si sua nôssent,*

nulli fraudi, lucro potiùs, honori que fuit, Musis domicilium præbuisse. Præclarum opus: constituisse Dynastiam gentilitiam; dotasse Tempora, Xenodochium, Gymnasium, Pædagogium; amplificasse atque exornasse oppidum! Illud verò, quanti est? leges, statuta, jura, modum tuendi, conservandi præscripsit collegiis omni-

II

bus

*Apert. ann.
613. 13. 60. d.
XXIV. Novèb.*

Horat.

CASPARI DORNAVI

bus manu suâ, ex ingenio suo prompta, non aliunde mutuata! Sed ne extra rhodum saltare videamur; illud quoque tribuamus ejus laudi meritissimò: quòd ingruente calamitate publicâ, vel domesticâ urgente quemcunque; sublevabat inopiam cujusque suâ copiâ. Cùm gravis annonæ flagraret difficultas; triplo minùs frumentum illis, dum pretium, vilescente jam annonâ, exponerent, pro suo commodo, vendidit. Liberis popelli sui de vestimentis prospexit; de pecunia, ad discendum opificium; de viatico ad peregrinationes; de dono nuptiali, ad contrahendum matrimonium; de sumptu haud rarò sepulchrali: adeò sollicitus fuit: ut benè, quantum par erat, nascerentur, viverent, morentur subditi. Ægrotis omnibus, nullo habito respectu sublimitatis personæ, patebat singulis momentis culina ejus; patebat cella vinaria; patebat officina pharmaceutica in arce apparatus: unde submittebat, quæ profutura existimabat, ultrò, impulsu pii adfectus: quo MAXIMILIANUM I.

Reusner. in symb Imper. dicere consuevisse ferunt: Caritatem non expectare preces hominis egentis: sed ubi necessitas videt, ante preces opitulari.

Hac suâ munificâ manu, liberaliùs quoq; in hospites extertâ, quos decerpserit fructus SCHÖNAICHIUS? Vivit adhuc, porroq; vivet — *in omne volubilis avum.*

in ore, laude, votis optimorum quorumq;: gratus exteris, domesticis æternum gratus? Enimverò dicam, sed audaciâ minimè reprehendendâ: SCHÖNAICHIUM haud parum fuisse adjutum in cursu felicitatis suæ: quia tanta hominû multitudo pro salute ejus vota suscepit. Fieri n. non potest, quin exaudiatur à Deo, qui intercessores multos habuerit. Eant ergo avari Eucliones: auferant secum in sepulchrum obloquia plurimorum, Contemptum

EVERGETES CHRISTIANUS.

temptum sui, diras, infamiâ etiam angusti sordidiq; animi; diffidentis divinæ providentiæ. SCHÖNAICHI IMMORTALIS gloriæ monumenta, incomparabilis liberalitatis opera, ipsa æternitas intuebitur. Quanquâ, si hæc ita à me dici audivisset vivus; verendum fuisset: ne indignatus, verba ejusmodi parum amico vultu excepisset. Potiùs enim conviatorum ferebat; quàm buccinatorè nominis sui; et si nunquam satis laudati. Nemo faciliùs à benignissimo Largitore ferebat repulsam, eo; quisquis argumentis persuasurus, agebat, gloriam SCHÖNAICHIANI nominis agi: Deo, referebat, salutiq; publica natus sum: non meis velificari me honoribus par est; nec cogitavi unquam. Sanè incomparabilis iste EVERGETES tristem à se peregrinû dimittebat nullû; visus, Pontificios quoq; juvisse, & Monachos in vicinia, clade adfectos & calamitate. Amabat verò præ reliquis Christi exules, mutilatos milites, opibus indignè spoliatos, de genere humano benè meritos: tum maximè auxiliares manus promptissimè porrigebat MINISTRIS suis, & iis; quibus utebatur familiariter. In quo exercitio largitionis ita erat prudens: ut, ne benignitate benignitas tolleretur, beneficia conferret paulatim, partitis vicibus atque donariis; eleganti imitatione resolutæ in pluvias nubis. Quemadmodum enim, quæ rariori, ac subtiliori, sed continuo stillicidio decidunt, terram magis rigant, vegetantque ad proferendas plantas; quàm quæ nimbo præcipiti, guttisque grandioribus solum inundant: sic beneficentia, crebriùs, et si munusculis haud immodicis, exercitata, magis conciliat hominum animos; & utilior est patribus familias; quàm semel, simulque diffusa prodigalitas. Plerique enim ministri, qui confertim hauriunt de fontibus herilis bonitatis; ut ne polliceri quidem beneficium,

CASPARIS DORNAVI

amplius sibi auferant: aut fluxæ sunt fidei; aut segniores in faciendo opere; aut quasvis occasiunculas mutandi Herum captant. In hac nunquam satis laudata liberalitate, quâ bona sua donando aliis faciebat communia; crebro sermone usurpavit hoc scitum: *Nihil se aliud esse, nisi servum divitem; qui bona sua convertat in aliorum usus: sed & sibi dictum existimare, quod Spiritus Sanctus Salomonis ore protulit: cum multum est bonum; multi sunt, qui comedunt illud: Eccl. 5. v. 11. quid ergo commodi Domino ejus obvenit, præter aspectum oculorum ipsius? Inter hæc florentissimæ ætatis exercitia, tandem*

— obrepit non intellecta senectus:

Elisabetha cui, quippe ex se malo & tristi, accessit quoque luctuosissima viduitas. Hanc ut leniret solatio conjugali; quod nullum est præsentius remedium ad serenandos animos: utque haberet curatricem ætatis suæ ingravescentis, & domi Matrem familias; cum ipse publicis negotiis plurimum distineretur: fecit idem, quod Abrahamus, qui anno ætatis quadragesimo ultra centesimum duxit Kethuram, virginali pudore: fecit, quod Cicero & Cato: quorum ille Publiam juvenulam sexagenarius: hic filiam clientis sui adolescentulam, ipse octogenarius, matrimonio sibi copulavit. Sibi quidem elegit secundam maritam Generosissimus *VIDUUS, JOANNAM SCHKENKIAM*, Illustris *WILHELMI HENRICI L. BARONIS Landsbergi* filiam; eâ gente natam; quæ non modo splendore antiquitatis certat cum quavis alia: sed majorum virtutes ex annalibus Lusatiæ, Misniæ, Thuringiæ, Franconiæ, Sueviæ, Austriæ luculenter replicare potest. Ipsa verò *JOANNA*, ut setalem, Gratiolam puto, comprobaret: tum obsequiis secuta & ad secuta fuit

EVERGETES CHRISTIANUS.

fuit amorem conjugis mutuum, præterque dotem insignem, haud infrequentia munera: tum probitatis, & fidei, & silentii, & pudicitæ, & attentionis atque prudentiæ in re familiari, ab æquis rerum aestimatoribus, promerita laudem multò maximam. Sentiebat porrò *SCHÖNAICH IUS*; vitæ suæ vesperam grandioribus appropinquare gradibus. Noverat: quemadmodum, græca, leguminis genus, aded grarum est columbis; ut gustatâ illâ semel, negent profugere ab illo loco: ita nonnullos, qui semel aulae mel, atque honores degustarint, nunquam ex ejus delicato sinu avelli posse. Erat sequioris mentis *SCHÖNAICH IUS*: qui prægravatus multiplici pondere, quod jam-jam intelligetis, necessariam ab aula Cæsaris facere secessionem cogitabat. Quoniam verò, & mollissimo brachio tractandi sunt Principes, atque Imperatores: & discessus, mala cum gratia, parum differt ab exilio: à *SILESIAE PRINCIPIBUS* atque *ORDINIBUS* petiit: ut pro se ad augustissimū *MATTHIÆ* tribunal intercederent. Imperavit; sed cum sensu alicujus ægrimoniam; quam præ se ferebant Proceres: cum prospicerent: haud esse magnam eorum copiam; qui cum Patriæ commodo atque autoritate, non tam efflorescere; quàm continescere in aulis valeant. Excessit aulâ, relicto desiderio sui maximo, in ipso quoque animo Cæsaris, à quo dimissionem impetrare vix potuit: excessit plenus dignitate, in ipso honorum cursu; ante has tempestates, quæ jam-nunc sæviunt. Rarum beneficium aulæ; sine naufragio existimationis ab ea egredi! in qua, si ullibi, autoritas præclarissimi cujusque de filo tenuissimo pender, opinione hominum: ut minimè obstupescam; si quando magnæ Virtutis Viri, nullo suo merito,

C A S P A R I S D O R N A V I

merito, vilescant: quoniam non aula tantum, sed universus mundus opinionibus circumagitur; tandem etiam, opinor, evertetur. Ultimam ergo scenam, & catastropham vitam in territorio suo peregit; tantulum quidem adeptus laxamenti: sed ne id quidem, sine labore: quem in sumere necesse habuit, in religiosa causa Nissenium, in FERDINANDI REGIS designatione, in aliis negotiis, haud unis. Quod propius verò mortem adventare presentit; eò magis, singulis diebus excipere eam sese apparabat; condidit se iusso loculo ex ligno, sibi cognomine: cui spoliū istud corporis aliquando includeretur: quod CÆSARI MAXIMILIANO, hujus nominis primo, ita placuit; ut quinquennium ante diem fatalem, feretrum suum, quaquam iret, secum circumduceret. Nec immerito sanè: siquidem

Horat. in art.

Multa senem circumveniunt incommoda:

nec inficetè Diogenes, quærenti, quid esset senectus, respondit: *Ætas brumalis, tempestatibus obnoxia.* Labefactum fuerat corpus PATRONORUM OPTIMI meditationibus; quæ tam crebræ, tam arduæ, tam contentiosæ, in quovis, etiam Athletico habitu, dictu incredibile, quas deprædentur vires, vel exhauriant, vel dissipent. Accesserant morbi, neque leves, neque infrequentes. Infestabat vitalem facultatem multis retrò annis palpitatio cordis; quæ, senio superveniente, non nihil remisit. Calculi doloribus, jam ab annis octodecim, plurimum ex renibus atque vesica obnoxius fuerat: cum tandem quoque ipsum hominis coelum (ita caput nonnulli vocat Homerus) coepit affligi VIENNÆ hemiplexiâ, & actiones postea motorias impedire vehementer: cui magis insidiabantur convulsiones universales, tertium recurrentes. Imitabatur verò, in his morborum conflictibus, magnum Governatorem; qui scisso quoque navigat velo: & si exarmavit; tamè reli-

E V E R G E T E S C H R I S T I A N U S.

reliquias navigii aptat ad cursum: sic in illius corpore, sensim & cum sensu deficiente, fortis animus, tum quavis tempestate vitæ sui similis erat; tum extremam agritudine, quod reliquum erat virium, demoliente. Quam parte renes natura locavit, ad proliciendum inutile serum ex massa sanguinis, suboriebatur dolor; obtusus primò, cum excretionem cruenta: sedatus omnino quinque dierum spacio; ut in hoc Auditorio, cum pro cõcione diceremus, copiam sui nobis facere potuerit. Sed infida sunt omnia; quæ constantem sanitatem promittunt senibus; quos, Sophoclis verbo *parvum momentum sopit.* Recrudescere dolor noctu, ad sinistri ureteris ductum: qui, et si conspirante Medicorum judicio atque auxilio, mitescere per intervalla: per intervalla tamen ita subinde recurrebat: ut secum adduceret. comitem ischuriam; quæ per meatus urinarios nihil memorabile, nihil sufficiens morbo relevando excernere poterat. Ecludebat undiquaque fatiscens natura cuncta, etiam generosissima præsidia: quæ ingenium hominis, ad jutum experientiam, conferre poterat. Laterem lavabamus; quotquot nobis adesse contigit: cum certis indiciis constaret, vesicam non laborante, non modo altius impactum esse malum: sed, causam quadam abditam, renes, venasque emulgentes, attrahendo lotio regurgitate ad partes nobiliores, & situm putrilaginosum contrahente, munere suo non defungi. Non fuit conjectura evanida; cui fidem eventus fecit. Jamque presentiebat ipse, & virium lapsu, & opinor, divino instinctu; quo sancte animæ plerumque exitus sui sunt præsepe: occasum vitæ suæ imminere: colligendas esse sarcinulas; & iter supernæ civitatis ingrediendum esse. Ille verò, cujus tota vita fuerat mortis meditatio, tantum aberat, ut trepidaret ad mentionem excessus è mundo: ut creberrimè testaretur desiderium beatæ ἀναλύσεως; non clamoris, multisque

An. 1519. 19. Febr.

CASPARIS DORNAVI

tisq̄ue verbis; sed brevissimis preculis, quibus singul-
tantia suspiria erant interspersa. Quorsum enim verbo-
rum quoddam veluti flumen apud Deum? qui cordis est
auditor, non vocis: cui unum fidele suspirium, quale
Moysis, & Hannæ fuit, aut lachrymula unica ex iis,
quas Petrus fudit, magis placet, estq̄ue efficacior; quàm
verbosissimæ Pharisæorum & Hypocritarū battologiæ.
Itaque ex ejus ore, cum Davide, hi gemitus frequenter
audiebantur:

Psal. 51. v. 1.

Pro magna pietate Tua concedè benignus

Admissè veniam culpæ, DEUS:

*addebat: diu me tenes ò DEUS! Deus mi, quid cessas, desideri-
um explere meum! quasi cum Davide suspiraret:*

Psal. 12. v. 1. & 2.

— Auxilii quò Te juvat usq̄, morari

Immemorem, pater omnipotens? nullusne malorum

Finis, an averso me dedignabere vultu

Semper, & in partes animus versabitur omnes

Anxius, effugium quarens discriminis ullum?

Nolim verò, quisquam existimet, impatientis hæc fuisse,
& obloquentis Deo: quoniam hæc genuina est nota filio-
rum Dei, suspicere cœlestia, terrestria despiciere. Si enim
Jacobus Patriarcha tanto cum prolubio properat in Æ-
gyptum; ut videat filium Josephum: quanto magis te-
nerrimis Christianis volupe est, ex hac Ægypto, & pistri-
no servitutis peccatorum, properare in amplexum cœ-
lestis Josephi, Christi Iesu, Domini Dei, Fratris nostri:
cumq̄; illo exosculari omnes Patriarchas, bonos Reges,
Prophetas, Apostolos, Confessores, Martyres, omnes,
qui in hac vita nobis chari fuerunt, pios amicos. Con-
firmabat hoc precantis studium THEOLOGUS DO-
MESTIGUS verbis, solatio plenis: Et si vires decreverent,
actre-

EVERGETES CHRISTIANUS:

adcreverent infirmitates: fidelem esse tamen Dei fili-
um; qui onus portatu difficilius, aut non imponat; aut
subeat ipse in partem laboris; faciatq̄ue; ut fidelibus
omnia in salutem cooperentur. Cui ille: *non angor, non 1. Cor. 10. v. 13.*
perturbor, mi Deus! Deus toto vitæ meæ decursu, bene omnia
mecum peregit: sat scio; ultimum quoque ejus punctistitium,
lato exitu coronabit. Doloribus intereà, perq̄ue vices, ex-
asperatis, identidem repetebat verba Psalmica:

Tu miserere mei, cujus clementia metam

Psal. cit.

Nescit, magne Deus:—

quandoque permutabat:

Quousq̄, rector unice,

Psal. cit.

Me destitutum negliges?

An sempiternâ me obrutum

Oblivione deseres?

Pyrites gemma, si atteratur, aperit vim igneam: reli-
giosæ preces, ministrorum verbi Dei, tempestivis allo-
quiis, in moribundis excitantur. Prudens ergo COLE-
RUS, cui CL. quoque LIEBIGIUS succenturiabatur, in
hæc verba compellabat luctantem Baronem: Deum hac
morâ nihil aliud agere; nisi ut fidem ejus, hoc quasi ten-
tationis igne ventilaret, depuraret: sed & cognosceret
constantiam ejus, fidemq̄; duraturâ. Sciscitabatur itaq̄;
ecquid exerceret regulam communis Christianismi;
quæ nos jubet: credere invisibilia; sperare dilata; & ama-
re Deum, tam ferientem, quàm blandientem. Respon-
debat Ille: *nisi hoc nôssem ageremq̄;: facile peccarem in me,*
ipsum. Suffultus erat eodem præsidio; quo Psaltes regi-
us animum sibi addebat:

Obruissent me dolores; ni adfuisset lex Tua,

Psal. 119. v. 92.

Lex salubris: nulla nobis tollet banc oblivio.

I

Verè

CASPARIS DORNAVI

Verè non obliviscebatur Dei; cujus cultui ita serviebat, ad extremum vitæ usq; halitum: ut cibum mihi aliquoties offerenti, quo uteretur, recusaret confestim accipere: mirantiq; cur faceret, compertum fuerit; præmittere ipsum suspiria in cœlum: ut illinc divina benedictio descenderet. Quàm verò illud beneficium Dei singulare: non fuisse externatum hunc Christianum militem rigore extremi iudicii: quo multos, cætera fortissimos, fidiſsimosq; Christi athletas, in agone extremo terrificatos accepimus: cùm ad animum revocarent: superius esse iudicem severum; inferius patentem infernum; interiorius conscientiam mordentem; exteriorius ignem ardentem; à dextris peccata accusantia; à sinistris dæmonia terrentia; circumcirca bonos Angelos, ad infernum pellentes; & malos ad ipsum trahentes. Sic enim erat obfirmatus SCHÖNAICHUS; crebrisq; verbis edebat testimoniū: non timere se, aut censorium illum diem, aut, quod perinde est, huius vitæ ultimum terminum: quoniam, qui iudex esset futurus, idem quoq; sit Patronus suus, & Advocatus, & Rex; qui nullum civem neq; velit, neq; possit perdere. In quam rem cùm matutinæ, vespertinæ, nocturnæ instituerentur preces, psalmodiis permixtæ; cùmque dejectæ vires non permetterent profari plura, voti sui verbo indicium fecit: **DICTIS BENEDICAT DEUS:** quo ipſo, licet Medici convulsiones metuerent, sine formidabili adſpectu, sine corporis iactatione inquieta ulla, blandissimos ocellos ita placidè, ut nihil superà, connivendo oclusit, exspiravit. Exspiravit! heu illætabile atq; inimicum verbū, quod intra fauces dolor mihi propè strangulat! Ignoscite, Auditores: si confragoso dictionis horrore aures offendo Vestras; aut lachrymis deformare videor masculi hominis dignitatem. Molli sum

August.

d. xxv. Febr.
an. d. d. l. c. xix.

25. 2

EVERGETES CHRISTIANUS.

sum pectore fateor; & adfectum in proapatulo gerō: neq; arbitror; cum humanitate habere aliquod commercium; quisquis caperatā est fronte in acerbulo luctu:

* Πέτρης ὅγ' ἔχων νόον, ἠὲ σὸς ἔγω.

* Ex rupe habens animum aut ferro. Theocr.

Equidem fateor, & præ me fero: felicem esse SCHÖNAICHUM; esse beatum; esse redimitum in cœlis coronā, non Quernā, quæ gloriosa est gentilibus in terris, sed aureā illā, quā ornatī quatuor & viginti seniores, amicti vestibus albis, *Apoclyps. 4. prouident in conspectu illius; qui throno insidet: similis Iaspidi, v. 3. 4. 10. & Sardio: in cuius circuitu est Iris, adſpectu similis Smaragdo.*

Ad nos verò pertinet calamitas publica; in qua singulorum quoq; iactatur: hæc lachrymis, in tanta inopia Patronorum Ecclesiæ, & Reip. deplorari satis (quanquā necesse foret) nequit. O SCHÖNAICHI! quò abduxisti clementissimum Tuum vultum; quò pectus plenum prudentiā, doctrinā, peritiā rerum, fide, fortitudine, cōstantiā, mansuetudine, humanitate abduxisti? ubi illud speculum; in quo cernebamus viva simulachra ingenii examulsi improbi, iudicii acris rectiq;? ubi illæ manus Tuæ; quæ tot mortalib. dederunt salutē; perniciem intulerunt nemini? Heu luctuosa dies; quā uno ictu tā salutaris QUERCUS corruit: sub cuius benignissima umbra spiritū, sanguinēque hausimus! O nos verò imprudentes! qui in alienas regiones, longeq; disſitas, inquisivimus; quid sibi voluerit crinitum illud sidus; quas mōrtes portenderit Illustrium alibi

HOARON — praeclarorumq; virorum,

Atq; ducum interitus magnorum, nobilitatūq;

Carm. Sibyl.

Domi nostræ decebat habitare: domi inquirere; quæq; ante pedes nostros forent, perspicere. Poteramus, si mens non lava fuisset, præſagium capere ex divinante ore Generoli ZEDLIC, Pro-principis in hoc Glogoviensi Ducatu; nati in

Virgil.

! *

exemplum

CASPARIS DORNAVI

exemplum humanissimæ generositatis: qui paulò ante excessum ex hac mortalitate, quasi extra se raptus, dicebat: Illustri GEORGIO SCHÖNAICHIO, & Nobilissimo ALEXANDRO STOSCHIO sibi conventu opus esse. Convenerunt vicini isti in æterno beatitatis teatro: præcedente Zedlicio; paulò post Stoschio piè defuncto; subsecuto non longè SCHÖNAICHIO: veritatemq; præ sagii

Virgil.

— docuit post exitus ipse:

Veraq; terrifici cecinerunt omina vates.

Eos tantò largiori, sed & calidiori prosequimur jure meritoque fletu: quantò certius est: quemadmodum remotis gubernatoribus navim oportet scopulis allidi, vel hauriri syrtibus: sic malorum imminentium minimè fallax indicium esse; quando viri graves & spectati, quorum humeris publica res, veluti suffulta diu stetit, eripiuntur ingratis. O SCHÖNAICHI! quantillo momento perierunt in Te spes nostræ atque delitiæ! Tantane vis fuit, & tam tetra labes sinistri renis, in tumorem elevati, sanie undique & dirâ illuvie corrupti, calculis referti! Potuitne adedò aut vena emulgens, defraudata munere trahendi seri, calamitatem hanc inducere? aut ureter, mucido limo obstructus, qui FABIANO gentili Tuo in lapidem obriguerat, vires deprædari? An pulmonum vitia inculanda; qui aut putredine erant deperditi, aut maculis nigricantibus perspersi. Frustra disquirimus, cheu! Ereptus es nobis, SCHÖNAICHI! O SCHÖNAICHI!

Quid loquor? aut ubi sum?

Da veniam, ILLUSTRIS HÆRES, Magnifice BARO, PATRONE exoptatissime: liceat mihi bona cum gratia Tua expectorare dolorem meum, & eorum omnium, singulos

EVERGETES CHRISTIANUS.

singulorumque, qui adsident: poscit communis humanitas has lacrymas: quibus si Tu nunc quidem abstines, (quanquam vix abstines) facis, quod Psammenitus in magnitudine doloris fieri aiebat: *domestica mala majora esse lachrymis.* Agnoscimus quoque & prædicamus in Te omnia nobis restituta esse; quæ in PATRE, & PATRUO Tuo magnificentissimo amissa esse videbantur: adedò nobis explorata est, non ingenii tantùm Tui dexterrima promptitudo, & judicii, ad senilem prudentiam accommodati: sed indoles quoque Tua liberalissima, universo Virtutum, Musarum, literarum, ac literatorum choro dedita proclivi studio: ut Tibi jure meritoq; illud vetus acclamemus: *FELICITER, QUOD AGIS!* Verum enim verò ut permillum fuit Israëlitis; deslere Moysen, & Aronem; etsi utriusque successor laudatissimus; illi fortissimus Josua, huic optimus Eleasar, designatus erat: ita nobis indulgebis hanc ultimi officii, & tenerrimæ pietatis partem: ut lachrymis egerere dolorem, inclusum arctatumque intus, liceat. Ego certè, qui scio, quem amiserim, Te non improbante, committere non potero: quin Augustum nomen Beati SCHÖNAICHI, non ampliùs, GEORGI, sed (ut sic dicam) URANORGI venerer semper pio suspirio; lachrymis quoq;: donec ex hac valle lachrymarum ad ipsum redituris, in *Esai. 25. v. 8.* cœlesti paradiso, *lachrymas omnes Miserator Deus abs- Apocal. 21. v. 4* tergat.

Jani

JANI GRUTERI

in funere

GENEROSISS. DOMINI, DN. GEOR-
GI L. BARONIS SCHÖNAICHI
Lessus.

Quem Virtus numeros decorat non una per omnes,
Quem Doctrinarum dulce venustat ador;
Mecum SCHÖNAICHI manes veneratus, amici
Pectoris officium laxet in oris epos.
Non amat is, virgo qui avidè tantummodò palpat:
Verus amor sero crescit ab igne rogis
Qualiter irrigua herba novas assurgit in auctus,
Solut eam irradiat dexteriore face.
Et certè, memori si quis celebrandus honore est
A docto àque bono; est in chytus iste Baro.
Sicut enim, pennarum ubi pavo recludit ocellos,
Illicò gemmarum pulcra corona nitet;
Adq̃ illam sexus sua quidvis lumina vertit,
Naturaq̃, colit stellivicantis opes:
Haud secus innumero genii ingeniq̃, decore,
Nos ter hic ad sese traxerat omne genus:
Omne genus non tantùm hominum, sed & illud Olympi,
Astrica quotidiè queis asarota patent.
Natus erat? generosa Horarum examina lautum
Molliculo Terra deposuere sinu.
Ipsaq̃, ut infanti flores ter mille colorum
Subjicit, atq̃, aër totus odore calet;
Et myrti & lauri ramos superingerit Hebe;
Hosq̃ operis olea fronde Minerva novà.

Sublatum

Sublatum tecture sacrà gremio alma Levana
Ponit, & involvit versicolore peplo.
Neverat hunc Astræa, è pleno vellere Phryxi:
Texuerat sed enim pesq̃, manusq̃, Dices.
Fascia non aderat; Juno diadema resolvit
Verticis, hocq̃, artus terq̃, quaterq̃, ligat.
Cantibus interea exilarant omnem aëra Musæ,
Harmonicisq̃, iterant fat a futura sonis.
Dumq̃, iterant, pennis en multa sub aëra mutis
Pendet avis; Boreas conticet; unda silet:
Decurrunt scopulis Dryades & Oreades: antris
Dorides è madidis Naiadesq̃, ruunt.
Cernere quisq̃, cupit pullum hunc ac tangere, quisquis
Vota in eum dextrà voceq̃, festa jacit.
Exierat pueros? per saxa sonantia Lymphis
Gorgoneis, illi nocte dieq̃, mora est.
Aque corymbiferis Cyrrha discedere ramis
Nescius, Aonium pollice pulsat ebur.
Ad sonitum accurrunt Comisq̃, Leposq̃, Jocusq̃,
Cumq̃, Cupidinibus pluribus alma Venus.
Quilibet adplaudit; violasq̃, rosasq̃, canentis
In caput indergit, diètaq̃, læta crepat.
Nec mora longa: ipsum cum proles aurea Maja,
Ducit Apollinea templa ad equina lacus:
Heic, ubi amygdalibus crebris, cryst. illa Moneta
Deplet, & arcana vena furore calet.
Umbratum lauru Parnaside ducit in arrem
Phæbus, ubi nectâr sudat & ambrosiam:
Illud & hanc exinde in fercula plura laborat,
Apponitq̃, Neis ort a sorore Jovis.
Vestit umbra genas? obit en monumenta Minerva
Cuncta, & ab ore eius basia multa rapit.
Multa

Multa rapit, sed sponte Dea: data nolle, putares,
 Purpura Virgineas quod notet alta genas.
 Oscula vix tulerat, cum mens subit altior, ac jam
 Caelum animo, caelum pectore & ore sapit.
 Vulgus abi; quidquidque voces tibi clamve palamve,
 Unà aufer: nulla heic ambitiosa sitis,
 Nulla fames auri viget heic, pelagive rubentis;
 Nulla malæ Veneris, nulla libido gula est.
 SCHÖNAICHUS sanè spe major ubique metuq;
 Fortuna subigit duplici calce rotam.
 Tantum perpetua lubitum est dare lintea fame;
 Virtutumq; ingens usq; secare mare;
 Impete tantum alacri spatiatur Honoris ad adem,
 Cui pia Majestas adsidet atque Themis.
 Quasi si vita foret reliquis; nostro exulet orbe
 Impietasque ferox, Improbitasq; rapax.
 Nusquam Mars regnet, germanaq; Martus Enyo;
 Fascinus hinc absit spurcus, & ales Eris.
 Non medicus, non latro esset, non jure peritus;
 Non quadruplatorum longa catena canum.
 Aurea Pax redeat, redeat Concordia simplex,
 Cumq; fide pietas, cumq; pudore Modus.
 Pro speculo ut amur clypei nitido are; met atq;
 Matura segetis cuspis adunca mare.
 In cunas abeat scutum omne; in stragula conus
 Omnis, & invertat hasta trabalis humum.
 Denique Saturni revirescant secula, & ad nos
 Justitia è cæli fornice lata ruat.
 Vera loquor: sed vana tamen; nam germen id aureum
 SCHÖNAICHUS, pondus triste fit ecce soli:
 SCHÖNAICHUS, bis ter Musarum ipsissima Musa,
 Et Charitis triplicis deliciosa Charis:

Schonai-

SCHÖNAICHUS, longo non avo fractus & annis,
 Vivere qui totum Nestora dignus erat:
 Imò expers curarum, expers sine sine dolorum,
 Deiphobes longos exuperare dies.
 Ille jacet, cui non tulit acti temporis atas;
 Ulla ferent nec item secla futura parem.
 O ubi nunc caput ac vertex, cervice quietà
 Thesauros cæli quod sine labe tulit?
 O ubi nunc frons ac cerebrum, cui Consus Honorq;
 Hæsit, Acidalia trinaq; alumna Dea?
 O ubi nunc oculi atque gena, quibus almius Amorum
 Grex per sicut stabileis cum genitrice lares?
 O ubi nunc labia atque os, quo Sirenque Latina,
 Græcæq; divitias Peirho aluere suas?
 O ubi nunc cor ac pectus, Sapiencia sese
 Major ubi facta est Mnemosidesq; novem?
 O ubi nunc? sed enim me singultantia verba
 Ulterius prohibent mentis operata loqui.
 Quin igitur tantam hanc stemus sine sine rapinam,
 Quàm latè Oceani circuit odor humum?
 Heu ploro, heu gemitus cito, heu lugeo mecum
 Vos etiam in partes queso venite viri,
 Quos virtus numeros decorat non una per omnes,
 Quos doctrinarum dulce venustat ador.
 Ordinis interit nostri Unio maximus, ejus
 Nosque omnes unà viua ruina trahit:
 Qualiter, in saltu pastor serpentis ab ictu
 Ut periit, ovium grex quoq; prada lupo est.

Ejusdem.

TERRA luge, Aër quirita, lacrima Æquor; jam cares
 Sidere, Auro, Margaritâ, Flore, Phœnice, omnibus.

K

Omni-

Omnibus carès, quia unus nòn adest *SCHONAICHIUS*.
 Evolavit ad supernos evocatus qui lares
 Spiritu, suam trahebat unde primam originem.
 Quippe, qualis inter ignes Lucifer coeli nitet
 Ore honesto, talis inter ordinis viros sui
 Eminebat literatæ laureâ facundiæ;
 Pacis almæ doctus artes, doctus & belli vices.
 Utq̃ue, ceteris metallis comparatum aurum, caput
 Altius fert dote multâ; sic suæ Silesiæ
 Præminebat fortitudine ac catâ prudentiâ;
 Sortem utramque ferre suctus nobili æquilibrio.
 Non ita unio resalget in cylindrorum choro,
 Ut modestia, ut pudore, Cæsarum in palatiis,
 Anteibat universum purpuratorum gregem;
 Nunc repræsentans Ulysssem, nunc triseclum Nestora.
 Flosq̃ue nullus vere ridet tam serendè, gratiæ
 Quin lepore præveniret, mentis & industriâ.
 Sic tamen iudex severus arbiterq̃ue sanctior;
 Pars ubi utraque approbaret verè aheneam fidem.
 Ergo Phœnix jure passim, passim Atlas Silesiæ
 Nomine atque re audiebat, spes opesq̃ue sæculi
 Qui labantis prosperaret, prolis auctor aureæ:
 Comparandus orbe toto nemini virtutibus,
 Comparandus orbe toto nemini scientiis,
 Comparandus orbe toto nemini excellentiâ.
 Unde factum, ut terra, digna cum haud foret tan-
 Terra falsa, ingrata terra, terra ubi fas ac nefas (to bono
 Flocci habetur; ad Patritos Numen exciret Lares,
 Comparandum illum orbe toto nemini virtutibus,
 Comparandum illum orbe toto nemini scientiis;
 Comparandum illum orbe toto nemini excellentiâ.
 Terra luge, Aer quirita, lacrima Æquor: jam cares
 Sidere, Auro, Margaritâ, Flore, Phœnice, omnibus.
 Omnibus cares, quia unus non adest *SCHONAICHIUS*.

Pro



*Pro auctario esto geminum poëma sequens; quod, triennium
 excurrit, cum Illustr. p. m. SCHONAICHIUS Muse Gratiæ, vi-
 cariâ voce Magni GRUTERI, gratulabunda accinebant. Indi-
 gnum est, premi tenebris; quidquid bene-meritis splendorem adferre,
 quacunq̃, accessione laudis possit.*

*Sub figura, Pierides, apum
 Classis fuistis Cecropia Duces;
 Ipsa ut colonias in agrum
 Duceret Ionia feracem:
 Nunc candicantis sumite grandium
 Pennas Olorum, meq̃, per aërem.
 SCHONAICHIUS ad novella Tempe,
 Liberiore præite cursu.
 Vos ipse, Cygnus canicie albicans
 Hinc inde totus, fortiter insequare,
 Plus quam insolenti mactus igne
 Quo mihi cor stimulant Amores.
 Quod si senecta me mediâ viâ
 Fortasse præhendet tristis hyems, super
 Vestras quiescam anhelus alas;
 Ut pote onus leve tot Camœnis.
 Jam planta terram deseruit; caput
 Jam nube condor: jam Zephyri altius
 Cor nat gradu: jam mens supra æthram
 Remigio sicut ens beanti.*

K 2

O Mercuri

O Mercuri! o Phœbe, o Venus, o Charis,
O Pallas, o Peitho, o Polyhymnia!
O Gaudia, o Chorr, o Lepores;
O Genii furor, o Lyai!

SCHONAICHIANOS jam videor t'bolos
Musis dicatos cernere; jam Labris
Peplum Minervæ adoro; Suada
Jam rapio bibulâ aure nectar.
Sic est profecto! Numina ad Oderam
Augusta migrant, perpetua atque ibi
Virtusq; Forsq; aſyla ponunt;

Haud aliquo temeranda ab Ævo.
Gaudete Docti nunc simul ac Boni,
Proſcripſit Orbe quos habitabili
Inſcitia atque Livor eſſrons:
Portus hic eſt ſine fine veſter:
Lædæ vobis ſidera pallidæ
Optata ſurgunt: aurea ſæcula

SCHONAICHIANA Quercus offert
Mnemoſynæ Eurynomæq; alumnis.
Jam ſordidatam Muſica projice
Veſtem propago: ſquallor eat procul
Luſtusque vos ſiti famæque.
Liberat à Jove miſſa Quercus.

Pulcra berclè Quercus, cui reverentiam
Europa præſtet, cui diademata
Regesque Principesque ponant
Procidui manibusq; Ore.

Hic unus imò hic unicus eſt, probè
Qui novit uti muneribus Dei;
Quique occupat pecuniam in re,
Millicuplos ferat inde fructus.

Vos ceteri omnes hoc agitis, graveis
Nummorum acer vos res in inutileis
Ut prodigatis, pompa quarum
Lucifero maneat nec uno.

Quin ergo cœle pyr amidum ſtruas
Nec non colossos tollite: quin Carum
Ante ire rara buſta buſtis,
Atq; Ephesas ſuperate moles.
Veſtra figura mille vel urbibus
Auro coruſcent; ſtet ſtatua ærea
Omni foro domoq; eburque
Gemma frequens tegat unioque.
Hæc cuncta tempus deſtruet, hæc liquor,
Hæc flamma perdet: ſola perenniter
Durant in æviter nitatem
Mnemoſynæ Eurynomæque dona
O Mercuri, o Phœbe, o Venus, o Charis,
O Pallas, o Peitho, o Polyhymnia!
Omne id manet cum Olympo & Aſtris,
Lumine quod ſemel attigiſtis.

Ejuſdem.

GENIO GRATIARUM SACR.

SI morbos ſeniumq; ignoras, Gratia; nec quid
In te Perſephones lurida jura queunt:
Nunc mihi cum gemina digneris addeſſe ſorore,
Plena ſinum violis, plena ſinumque roſis:
Plena roſis violisque ſinum, non unus Amoris
Frater Acidaliis quas tulit vngue jugis:
SCHONAICHIQ; caput flore hoc illoq; coronas,
Ejus ego meritis dum breve ſudo melos.
Tale tamen, multum quod, te auſpice, vivat in ævum
ſupra ebur atque aurum, granaque rubra maris
Proto genis

Protogenis color interit & fucūs Apellis,
Lysippumque æs, Praxitelisque lapis.
At quoque nunc, nullo minor ungue, virescit Homerus;
Et fruitur vitæ perpete flore Maro.
Omnia sunt mortis, præterquam carmina vatum,
In quibus ipsa lavat gens Chariteja manus.
Ergo SCHONAI CHI, macte hoc age munere; macte
Dum furit undeno MUSA BRABANTA pede.
Versibus haud ullum nec ab imbre nec igne periculum est:
Cum senuere, iis ver pulcrius usque redit;
Qualiter exuviis serpens spoliata nitescit,
Aut Phoenix longum tostus anile pyrâ.
O Phœbe imperiose! ò imperiosa Moneta
Pignora! quo vester me novus ardor agit?
Jam Clarium rædet Dirces haurire liquorem:
Jam pudet Aoniâ tempora fronde tegi.
Intactos feror in saltus: intacta corona
Quæritur. haudque mihi vel diadema sat est.
Jam peragro scopulos, ubi flammeus amnis inundat
Omnia; Trinacrio ceu solet Ætna jugo.
Jam flores video lucentes Sideris instar,
Sideris atque instar cui suus usque sonor.
Has undas animus bibere est, hos carpere flores:
Delicias Superum qui rapit, ille sapit.
Sed quis id citharam dextræ mihi adaptat opertam
Fulmine? quis tonitru os occupat omne face,
Sed quid id multus me raptat in aëra Cygnus?
Sed Philomelarum vox quid honora præit?
O numeri! ò cantus! ò dia melismata! par iis
Nec litui clangor, murmuræve alta tubæ.
Inde elementa haurit sua barbitos; inde lyrarum
Est anima; inde illex lingua Acheloiadum est.
O salvete poëtarum solatia, sive
Estis aves, cœli seu magis Indigetes.
Si volucres estis, tunc ò gens candida Olorum,
SCHONAI CHUS vestro semper in ore sonet;

Et

Et seu remigio tolletis ad alta Dionem,
Cum cupit ire Gnydum, cum cupit ire Paphon,
SCHONAI CHI nomen turres ac castra docete,
Ventorumque genus, æthereosque greges.
Sin vestri juris, Zephyro spirante, frequenteis
Ducetis liquido fontis in amne choros;
SCHONAI CHUM resonent valles silvæque comosæ,
Undivagique simul montivagique dei.
Vos sed Luscinia, medio in certamine rumpi.
Queis voluptas, ac nocti continuare diem;
Nunc nunc mille citæ miracula promite linguæ;
Nunc canite harmonico gutture mille modos.
SCHONAI CHUS teneat primum mediumque; nec absit
SCHONAI CHUS propè ubi meta laboris erit
O numeri, ò cantus, ò dia poemata, regum
Qualia sceptrigeras non subiere domos!
Ite procul domini fasces, dominaque secures;
Cumque tuo ambitu, Honor luxuriose, vale:
Jam thalamos supero Auroræ, jam scando cubile
Luna tuum. ò Lampas prodigiosa fave.
Temporis astrorumque fave regina, tuoque
SCHONAI CHI effigiem da residere sinu;
Ipsasque obtenebret maculas, mortalia de queis
Ora sinisterius tot didicere loqui.
Audior, ut video, SCHONAI CHI que ignea imago
In Lunæ clypeo simpliciore nitet.
Scilicet insolitæ decus haud imitabile vitæ,
Insolitum cœli poscit habere locum.
Illam igitur colite, eia, humili cervice tyrannit.
Illi igitur reges flectite utrumque genu.
More ejus, vestrum si quis duceret ævum;
Jam redeant nobis sæcla priora Jovis.
Non Mars, non Bellona foret, neque fascinus effrons,
Non quadruplatorum natio torva canum.
Nec toties hominum pinguescat terra cruore
Frausve coronatis cuncta pererret equis.

O pax

O pax dia! **o** dia Fides! **o** dia Voluptas!
 Dulce mihi in vestro vivere, dulce mori.
Vos sed enim **Astra**, **Astra**, **Heroes** sive estis, **Olympo**
 Exuviis positus quos pia misit humus;
Sive agitis **coeli** gentilia numina; saltem
 Nunc **matri** solitos exhibitote choros,
Artificique rotas hoc vestras vertite canpu,
 Quo festum suestis percelebrare diem.
SCHONAICHUM interea, **Tellus**, reverenter habeto,
 Quem vivum adscribit **Luna** polusque sibi.
 Illum **ætas** omnis famulari vertice adoret:
 Illum **omnis** sexus voce manuque colat.
Illi & **Hamadryades** & **Oreades** undique plaudant,
 Nympharumque lacus, **Oceanum**que mare resultent,
SCHONAICHUMque; **ocres**, **SCHONAICHUM**que; **antra**
SCHONAICHUMQUE **Orbis** binâ theatra canant.
Tu quoque **SCHONAICHI**, **GRUTERUM** agnosce furentem:
 I carias ultra transit erro vias.
Si spes **Luscinia**, si **Cyceni** subtrahit alas;
 Non pelago ille quidem nomen inane dabit:
Sed supra **Hippolyti** faciem lacer, heic miser atque heic
Hercini nemoris sanguine pascet aves.
Si tamen ingrati fas sic delere reatum;
 Qualiscumque venit, grata ruina venit.

Errata typographica.

*A 2 B. l. 3. conquiritissimam. Ibid. l. 14. Expromam. F. A. l. 27.
 temperamento. F. 4 B. l. 27. sponsalities. H. A. l. 15. multimodis. Reli-
 quas minutias cordatus lector ex se benigne corriget.*



EXSEQUIÆ;

ILLUSTRI ET GENEROSO VIRO AC DN:

DN. GEORGIO A SCHÖNAICH L. B.

IN CAROLATO, BYTHOMIO ET MILCAVIA;

DN. IN AMPTITZ ET NENCKERSDORF &c.

II. AUGUSTISS. CÆSAR. CONSILIARIO ET PER

SILESIAM ET LUSATIAM UTRAMQUE

CANCELLARIO;

D. XIII. M. MAIL. AN. clō. 13 c XIX.

HABITÆ.

BETHANIÆ

Typis Johannis Dörfferi.